

# Witold Gronkowski

---

## De natura Ezechielis "vinculorum" (Ez. 3, 16 a. 22-27)

---

Collectanea Theologica 18/1-2, 375-412

---

1937

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej [bazhum.muzhp.pl](http://bazhum.muzhp.pl), gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

## DE NATURA EZECHIELIS „VINCULORUM“.

(Ez. 3, 16 a. 22—27).

Textus *Ez. 3, 16 a. 22—27* sine ullo dubio his adnumerandus est locis, de quorum recto intellectu non parva ex parte iusta dependet totius huius prophetae operis et libri appretiatio. Et tamen de istis versibus ultimis his temporibus diligens examen non est institutum, quamquam quaestio prophetici Ezechielis ministerii necnon eius activitatis litterariae inter contemporaneos in diem acrius disputatur<sup>1)</sup>. Quapropter non inutile opus nos praestare credidimus, si novo hunc textum subiiciamus examini hunc in finem, ut eruatur, quid de difficultatibus prophetici Ezechielis initialis ministerii tenendum sit.

Uti ex eius libro constat, Ezechiel, filius Buzi, a Deo propheta vocatus est anno *quinto*<sup>2)</sup> *suae et regis Yoyachin*<sup>3)</sup> in

<sup>1)</sup> Cf. praesertim: G. Hölscher, Hesekiel, der Dichter und das Buch, 1924; M. Burrows, The Literary Relations of Ezekiel, 1925; W. Kessler (contra Hölscher), Die innere Einheitlichkeit des Buches Ezechiel, in Berichte des Theol. Seminars der Brüdergemeinde in Herrnhut, 1926; R. Kittel, Führende Männer in Babel: Ezechiel (contra Hölscher), in Geschichte des Volkes Israel, III, 1, 1927, p. 144—180; Ch. C. Torrey, Pseudo-Ezekiel and the Original Prophecy, in Yale Oriental Series Researches, XIII, 1930; Moses Buttenwieser, The Date and Character of Ezekiel's Prophecies, in Hebrew Union College Annual, VII, 1930; Berry, Was Ezekiel in the Exile?, in Journal of Biblical Literature, 1930, p. 83—93; W. Gronkowski, Le messianisme d'Ezéchiél, 1930; Shalom Spiegel (contra Thorrey et Burrows), Ezekiel or Pseudo-Ezekiel?, in The Harvard Theol. Review, XXIV, 1931, p. 245—321; William Goy, Autour d'Ezéchiél, in Séance d'ouverture des cours du 15 oct. 1931 (Fac. de Théol. de l'Eglise Libre du Canton de Vaud, Lausanne), 1931; V. Hertrich, Ezechielprobleme, 1933; A. van den Born, Ezechiel de profheet van de Babylonische gevangenschap, 1934.

<sup>2)</sup> Cf. Ez. 1, 2. De Ez. 1, 1—3 cf. J. Herrmann, Ezechiel übersetzt und erklärt, in Sellin, Kommentar zum A. T., IX, 1924, p. 9 sq.; P. Heinisch, Das Buch Ezechiel übersetzt und erklärt, in sic dicta „Bonner Bibel“, VIII, 1, 1923, p. 23 sq.

<sup>3)</sup> Vulg. Ez. 1, 2 = Ioachin, 4 Reg. 24, 8 TM = Yehoyachin.

Babyloniam<sup>4)</sup> deportationis<sup>5)</sup>. Quae deportatio<sup>6)</sup> cum anno 597 locum haberet, vocatio filii Buzi ad munus propheticum anno 593 facta est. Tunc temporis Ezechiel iam quattuor annos in Ba-

<sup>4)</sup> Yoyachin solummodo tres menses regnavit (cf. 4 Reg. 24, 8). Filius 18 annorum erat, cum patri suo, regi Yehoyaqim (Vulg. Ioakim; regnavit 609—598), successit. Yoyachin tribus ultimis mensibus anni 598 rex fuit. Nam secundum 4 Reg. 24, 12 eius deportatio octavo, secundum Ier. 52, 28 autem septimo Nabuchodonosoris anno, ergo circa annum 598/7 locum habuit. Quae inter 4 Reg. et Ier. differentia textu 2 Chron. 36, 10 explicatur, cum hic indicetur regis captivitatem coepisse „lithessubath hassanah“, id est — uti bene Fr. X. Kugler (Von Moses bis Paulus, 1922, p. 150) vertit — „circa finem anni“ (verbotenus: um die Wende des Jahres), sc. anni 598. Qua de causa certum esse videtur regem Yoyachin in captivitatem ductum esse ultimis mensis Martii vel primis mensis Aprilis diebus, quod temporis spatium coincidebat cum fine a. 598 et initio a. 597. — Cf. Landersdorfer, Die Bücher der Könige, in „Bonner Bibel“, 1927, p. 237, ad 4 Reg. 24, 8 sq.

<sup>5)</sup> Quae deportatio secunda ex ordine Iudaeorum erat. Nam prima sub patre Yoyachin, sub rege Yehoyaqim, evenit. Secundum enim 2 Chron. 36, 5 sq. et Dan. 1, 1 Nabuchodonosor post victoriam ex pharaonis Nechao exercitu ad Karkemiš (anno 605) reportatam in Aegyptum iens Hierosolymas venit et non solum partem vasorum ex templi Yahveh thesauro sustulit (2 Chron. et Dan.), sed etiam certum nobilium iuvenum numerum — inter quos etiam prophetam Danielelem — Babylonem abduci iussit. Secundum Dan. 1, 1 haec deportatio tertio Yoyaqim regni anno (E. Klamroth, Die jüdischen Exulanten in Babylonien, in R. Kittel, Beiträge zur Wissenschaft vom A. T., 10, putat loco „tertio Yehoyaqim regni anno“ legendum esse „tertio Yehoyachim regni mense“. Nihilominus Klamroth (p. 11) deportationem Yehoyaqim (ex Ez. 19, 8 sq. praesertim) statuit) evenit. Cum secundum Ier. 25, 1 „quarto Yehoyaqim regni anno, id est: primo Nabuchodonosoris (505—562) anno“ obsidio urbis Ierusalem adhuc futura esset et secundum Ier. 46, 2 pugna ad Karkemiš (605) „quarto Yehoyaqim regni anno“ locum haberet, tenendum est, quia solummodo victoria ad Karkemiš reportata Nabuchodonosori viam in Aegyptum et Palaestinam aperuit, apud Danielelem — contrarie ac apud Ieremiam — „initium regni“ (a Babyloński šarruti vocatum), cum ordinarie solum partem anni comprehenderet, non esse computatum. — Cf. J. Goettsberger, Das Buch Daniel, in „Bonner Bibel“, 1928, p. 15 (ad 1, 1).

<sup>6)</sup> Qua de deportatione 4 Reg. 24, 10—17 hoc narratur: „(v. 10) Illo tempore (sc. tempore regis Yoyachin) ascenderunt ministri Nebuchadne'ssar (Vulg. = Nabuchodonosor), regis Babylonis, Ierusalem et haec civitas obsidioni tradita est. (v. 11) Paulo post venit et ipse Nabuchodonosor, rex Babylonis, (verbotenus: contra-) ad civitatem, dum eius ministri eam iam opugnabant. (v. 12) Tunc egressus est Yehoyachin, rex Iuda, (verbotenus: contra =) ad regem Babylonis, ipse et mater eius et ministri eius et principes eius et ministeriales eius. Et captivum eum reddidit rex Babylonis anno octavo sui regni. (v. 13) Postea inde (sc. ex Ierusalem) omnes the-

bylonia degebat. Ex Ez. 1, 1. 3 sequitur eum una cum aliqua exsulum parte ad *fluvium Kebar*<sup>7)</sup> habitasse. Olim aucto-

sauros domus (templi) Yahveh et thesauros domus regiae tollere, omnia autem vasa aurea, quae Salomon, rex Israëli, secundum Yahveh mandatum in templo Yahveh facienda curaverat, destruere iussit. (v. 14) *Incolas* totius Ierusalem in exsilium abducere iussit, nempe omnes optimates omnesque virtutibus praestantiores, decem milia captivorum, *inter quos* omnes fabros ferrarios omnesque metallorum opifices. Non relicta est nisi (verbotenus: pauper) pauperior *huius* terrae (sc. Iudae) populatio. (v. 15) Yehoyachin captivum Babylonem abducere iussit. Matrem regis quoque et regis uxores eiusque ministeriales et potentiores *huius* terrae ex Ierusalem Babylonem in exsilium abducere iussit. (v. 16) Insuper *etiam* omnes virtutibus *praestantiores* viros — septem milia — *omnesque* fabros ferrarios et metallorum opifices — mille — omnes pugnandi capaces, rex Babylonis in exsilium Babylonem abducendos curavit. (v. 17) Regem autem instituit rex Babylonis Matthaniam, patrum (verbotenus: eius, sc.) *Yehoyachin*, loco eius imposuitque ei nomen Sidqiyahu (Vulg. = Sedecias)“. Quod numerum tunc deportatorum attinet, indicatio ex v. 10 („decem milia“) cum ea v. 16 „septem milia“ et „mille“) pugnare videtur. Quae differentia hoc modo explicari potest, quod supponatur pugnandi incapaces deportatos numerum circa 2.000 constituisse (cf. Landersdorfer, op. cit., p. 238). — Ier. 52, 28 alius indicari videtur numerus. Nam hic legitur: „Hic (*est numerus*) hominum, quos Nabuchodonosor abducere iussit: anno septimo (secundum 4 Reg. 24, 12: anno „octavo“) regni sui 3023 Iudaeos“. Notandum est hunc versum (et sequentes 29. 30) deesse in LXX itemque in 4 Reg. 25, textu parallelo ad Ier 52. Inde probabile esse videtur vv. Ier. 52, 28—30 ex alio fonte sumptos esse quam 4 Reg. 24; 25 et Ier. 52, 1—27. Nihilominus nulla est contradictio inter Ier. 52, 28 et 4 Reg. 24, 14. In hoc ultimo textu dicitur quidem tunc decem milia hominum in exsilium abductos esse, cum Ier. 52, 28 affirmetur eorum numerum solum 3023 fuisse. Quae apprensus contradictio eo explicatur, quod 4 Reg. sermo est de deportatis ex civitate Ierusalem (cf. 24, 14: „*Incolas* totius Ierusalem abducere iussit...“), cum apud Ieremiam e contra — omissa exsulum ex Ierusalem mentione — tantum numerus deportatorum Iudaeorum „ruralis“ originis exhibeatur. Cf. Fr. Nötscher, Das Buch Jeremias, in „Bonner Bibel“, 1934, p. 360 (sub c.). — Quapropter ut probabile tenendum est deportationem Yehoyachin circa 13.000 virorum comprehensisse. Cum non pauci ex deportatis sine dubio secum in exsilium et uxorem et liberos duxerint, numerus 25.000 sine formidine maioris erroris considerari potest uti numerus totalis totius deportationis Yehoyachin. Hunc autem numerum non parvi aestimandam constituisse populi Iudaici partem clarum est. Quae cum ita sint, opinio eorum auctorum (Torrey, Smith etc.), qui putant Ezechielem non in exsilio occupatum fuisse, cum exsulum numerus minor esset, ut filius Buzi ad eos missus supponendus esset, ut quam maxime arbitraria respuenda est.

<sup>7)</sup> Hebr. nahar Kebar; LXX = Χοβάρ; Vulg. = Chobar.

res<sup>8)</sup> hoc flumen cum fluvio *Chaboras*<sup>9)</sup>, qui ad *Circesium* oppidum in Euphratem influit<sup>10)</sup>, identificabant. Cum tamen Chaboras sit superioris Mesopotamiae fluvius, 4 Reg. 24, 15 sq. et Ier. 29. 1. 4. 15. 20. 22 autem clare indicetur una cum Yehoyachin deportatos Iudaeos in Babyloniam directos esse, haec identificatio merito nunc derelicta est. Certis in tabulis-pactionibus<sup>11)</sup> sub Artaxerxis I regno anno 424 in *Nippur* oppido<sup>12)</sup> conscriptis bis fit mentio *nar Kabari = Canalis Magni*<sup>13)</sup>. Qui canalis sine dubio cum biblico fluvio *Kebar* identicus est<sup>14)</sup>. *Nar Kabari* autem cum hodierno *šatt en-nil*<sup>15)</sup> identificandum esse a multis auctoribus ut certum admittitur. *Šatt en-nil* ad septemtrionem Babylonis ruinarum Euphratem relinquit et in directione inter meridiem et orientem fluens oppidoque *Nippur* in duas partes diviso ad *Uarka*<sup>16)</sup>, qui nominatur, locum cum Euphrate sese iungit<sup>17)</sup>.

Ez. 3, 15 unus ex locis nominatur, qui exsulibus ex Yehoyachin deportatione ut domicilium assignatus est. Qui vicus nomen *Thell 'Abib*<sup>18)</sup> portabat. De hoc pago expresse notatur

<sup>8)</sup> Cf., ex. gr., R. Smend, *Der Prophet Ezechiel*, in 2. editione operis: *Kurzgefasstes Exegetisches Handbuch*, 1880, p. 5. sq.

<sup>9)</sup> Assy. = Habûru = hebr. Habor; cf. 4 Reg. 17, 6; 18, 11; 1 Chron. 5, 26.

<sup>10)</sup> De Chaboras fluvio cf. M. Hagen, *Lexicon Biblicum*, in *CSS* (= *Cursus Scripturae Sacrae*), vol. II, 1907, art. Habor, p. 435 sq.

<sup>11)</sup> Anno 1893 inventis. Cf. H. V. Hilprecht, *The Babylonian Expedition of the University of Pennsylvania*, t. IX (1898), p. 28 et 76; J. Peters, *Nippur*, vol. II, p. 106 et 192.

<sup>12)</sup> Hodiernum Nuffar, inter meridiem et orientem a Babylonis ruinarum campo.

<sup>13)</sup> Cf. H. Guthe, *Bibelwörterbuch*, 1903, p. 105.

<sup>14)</sup> Uti nunc auctores concedunt. Cf. Herrmann, *op. cit.*, p. 11; J. Archutowski, *Niewola Babilońska*, 1935, p. 45.

<sup>15)</sup> Qui canalis 36 m latus est.

<sup>16)</sup> Antiquum oppidum Uruk (Gen. 10, 10: 'Erech).

<sup>17)</sup> Cf. R. Riess, *Atlas Scripturae Sacrae*, (3. ed.) 1924, tab. V.; H. Guthe, *Bibelatlas* (2. ed.) 1926, tab. 5/IV: „Umgebung von Babylon“.

<sup>18)</sup> אֲבִיב תֵּל. LXX loco huius nominis *μετέωρος* (= „elevatus“, „elevatio“, „tumulus = hebr. thell“; cf. Ez. 17, 22) *καὶ περιήλθον* (= *עָרַב*) habet. TM sine ullo dubio meliorem lectionem praebet. Duo alii exsulum pagi, quorum nomina pariter cum thell componuntur, Esdr. 2, 59 = Neh. 7, 61 nominantur, nempe Thell Melah et Thell Harša'. Quae nomina pure hebraica esse patet. Primum eorum verti posset: Collis Salis, secundum — Aratri Collis. Cum *thell* compositum nomen adhuc 4 Reg. 19, 12 habetur, ubi mentio fit loci Thel'assar (= Thelassar Is. 37, 12). Verbum *thell* ab assyriaco *tillu* (in statu constructo: *til*) derivatur. *Tillu* „tumulum reliquias hominum habitationum continentem“ significat. Verbum *'abib* autem, quod

eum ad *fluvium Kebar* situm fuisse. Cum in toto filii Buzi libro nullius praeter Tell Abib exsulum vici<sup>19)</sup> fiat mentio, certum esse videtur prophetam hic praecise ab initio suum habuisse domicilium. Eum postea uti propheta hic una cum sua uxore<sup>20)</sup> habitasse ex 3, 15 constat. Ex 3, 24; 8, 1 deduci potest Ezechielem in hoc pago propriam possedisse domum. Hac in domo vatem interdum visitabant viri, qui ab exsulibus uti „seniores“ agnoscebantur<sup>21)</sup>. Etiam Ier. 29, 1 sermo est de „senioribus ex-

linguae assyriacae deest, „spicam“ (cf. Lev. 2, 13; Ex. 9, 31) exprimit. Quapropter mensis, quo spicae frumenti ad maturitatem pervenire incipiunt (sc. mensis Nisan), antiquitus apud Hebraeos 'Abib (sc. „spicarum mensis“) vocabatur (cf. Ex. 13, 4; 23, 15; 34, 18; Dt. 16, 1). Nihilominus probabile esse videtur (non obstante hoc, quod L. Tondelli, *Le profezie di Ezechiele*, 1930, p. XI, contra hanc hypothesim protulit) verbum 'abib hoc in loco esse aequivalens verbi assyriaci *abubu* (cf. Herrmann, op. cit., p. 7, nota 15; Klamroth, op. cit., p. 27). Nam expressio *til abubi* = *tumulus tempore inundationis vel diluvii exortus* saepius in inscriptionibus cuneiformis uti denominatio tumulorum, quibus reliquiae hominum domiciliorum teguntur, invenitur. Ita, ex. gr., Hammurapi in *Epilogo* sui *Codicis* (R 27, l. 79 sq.; cf. A. Deimel S. l., *Codex Hammurabi*, transcriptio et translatio Latina, in *Scripta Pontificii Instituti Biblici*, (2. ed.) 1930, p. 41) inter alios deos et Adad invocatur, ut terram regis, qui in *Codice* promulgatas leges violare praesumpserit, „fame et penuria perdat, in urbe eius vehementer tonet, (l. 79) terram eius (verbotenus: „til (= dul) a-bu-bi-im“ =) in rudera diluvii (l. 80) vertat“.

<sup>19)</sup> Alii exsulum pagi Esdr. 2, 59 = Neh. 7, 61 et Esdr. 8, 17 nominantur, nempe Esdr. 2, 59: Thell Melah, Thell Harša', Kerub, 'Addan, 'Immer, Esdr. 8, 17: Kasifya'. De situ autem horum vicorum nihil scitur. Quamquam de his pagis nulla habetur apud Ezechielem mentio, tamen omnino improbabile non est unum vel alium ex iis a deportatis ex tempore Yehoyachin deportationis habitatos fuisse. Quodsi nulla eorum apud Ezechielem fit mentio, hoc eo explicari posset, quod vici hi probaliter valde distantes a Tell Abib erant. In favorem huius suppositionis validum argumentum ex Esdr. 2, 51 deduci potest. Nam hoc in loco refertur inter eos, qui ex Thell Melah, Thell Harša', Kerub, 'Addan, 'Immer in patriam redierunt, certum exsulum numerum, qui „non potuerunt indicare (*genealogiam suam*) domum patrum suorum..., (*nempe*) filii Delayah, filii Tobiyah, filii Neqoda': sexcenti quinquaginta duo (*homines*). (v. 60) Et ex filiis sacerdotum: filii Habayyah, filii Haqqos, filii Barzilay...“.

<sup>20)</sup> Cf. Ez. 24, 15 sq. 18.

<sup>21)</sup> „Seniorum“ exsulum ter apud Ezechielem mentio fit, nempe 8, 1; 14, 1; 20, l. 3. Notandum est prophetam eosdem 8, 1 „seniores Iuda“, 14, 1 et 20, l. 3 autem „seniores Israël“ appellare. Cui differentiae nullum adscribendum est momentum. Nam cum Iuda nobilior totius Israël's tribus esset, vates sine ulla inconvenientia „seniores Iuda“ vocare potuit „seniores Israël“.

sulum“ ex tempore Yehoyachin deportationis. Qui „seniores“ sine dubio magna inter deportatos auctoritate pollebant<sup>22)</sup>.

De numero autem Tell Abib incolarum nihil scimus. Neque in Ezechielis libro notatur prophetam tempore sui ministerii alios exsulum vicos visitasse. Quae suppositio tamen non improbabilis esse videtur. Nam etsi sors eorum exsulum, quibus agri colendi addicti sunt, multo mitior erat ea, quam rebellionis auctores et cum armis in manu capti milites eorumque praefecti sortiti sunt, nihilominus colonorum numero adlectorum iuridica condicio minime talis erat, ut omni ex parte huic plenis iuribus gaudentium „civium“ aequiperari posset<sup>23)</sup>. Saltem initio exsilio ex Iudaea in Babyloniam deportati coloni non omnia „civium“ iura possidebant. Altera tamen ex parte constat eos in melioribus quam „servi“ vixisse condicionibus. Quapropter non absque probabilitate

---

Cf. de adhibitione apud Ezechielem nominum Iuda et Israël W. Gronkowski, *Le messianisme...* p. 20 sq.

<sup>22)</sup> Qui „seniores“ sine dubio analogo inter exsules fungebantur munere, quo secundum Ex. 3, 16 tempore Moysis et antea „seniores Israel“ fungebantur. Tunc temporis antiquissima haec institutio sui generis *senatum* constituebat. Cui senatui imprimis incumberebat officium salutis populi consulendi et causas gravioris ac publici momenti dirimendi. Senatum hunc constituiebant „capita“ familiarum et stirpium et tribuum. Cum res gravioris momenti tractanda erat, *seniores* consilium inibant, in quo unusquisque eorum — data occasione — aut proponebat aut defendebat opinionem causamve huius partis populi, quam repraesentabat. Auctoritas seniorum ergo non parva erat. Temporibus autem subsequentibus, quibus Israel iam regia gubernabatur potestate, seniorum institutio praerogativas suas gradatim perdidit. Non ex toto tamen. Nam uti ex 3 Reg. 20, 7; 4 Reg. 23, 1; Jer. 19, 1; 26, 17 (cf. etiam Ez. 7, 26) elucet, *seniores* etiam tunc, tam in regno Iuda, quam in regno Israel — praesertim inter populationem ruralem — certa gaudebant auctoritate. Quapropter nonnullis in casibus aliqui reges consilium ab iis petierunt. Tempore exsilio, quo populus propria regia gubernatione destitutus erat, *seniores* inter exsules pristinam auctoritatem recuperaverunt, uti ex Ez. 8, 1; 14, 1; 20, 1, 3 (et Esdr. 10, 7 sq.) inferre licet. Incertum quidem est, num exsulum „seniores“ suum munus cum explicita vel tacita approbatione Babyloniorum magistratum exercuerint, tamen nullum dubium possibile est, quin deportati sua sponte „seniores“ ut suos directores agnoverint. Ab iis ergo variis in difficultatibus consilium petiebant. Immo non absque probabilitate supponi potest exsules eis mandatum dedisse, ut nomine totius communitatis munere magistratus fungerentur.

<sup>23)</sup> Quoad iuridicam exsulum condicionem cf. Klamroth, op. cit., p. 30 sq.

opinari licet exsules-colonos non fuisse privatos iure libere ad tempus ex loco sui stabilis domicilii ad alium discedendi. Quae cum ita fuerint, admitti potest Ezechielem saltem in secunda sui ministerii parte, quae primo ab adventu in Babyloniam deportatorum post Hierosolymorum anno 587 destructionem coepit<sup>24)</sup>, varias exsulum colonias consolandi et instruendi causa visitasse.

Ezechielem saltem ad annum 571 vixisse ex 29, 17 sq. eruitur. Hoc enim loco notatur prophetam relatum 29, 18—20 oraculum initio anni 27. suae deportationis a Yahveh accepisse<sup>25)</sup>. Quae de eius vita ac morte variis in fontibus extrabiblicis narrantur, incerta sunt<sup>26)</sup>. Eius ministerium initio saltem maximis

<sup>24)</sup> Secundum Ier. 52, 29 deportatio, anno 18. Nabuchodonosoris statuta, 832 „animas“ comprehendebat. Qui numerus multis auctoribus minor esse videtur, ut de eius genuinitate dubitare non liceat, eo magis, quod ex adhibita hic expressione: „832 animas“ deduci potest hunc numerum esse numerum *totalem* omnium tunc deportatorum, comprehendentem non solum viros, sed etiam eorum uxores et liberos. Etiam si haec ultima deductio verisimilis sit, nihilominus nobis persuasum non est ipsum numerum hac de causa ingenuinum considerandum esse. Nam animadvertendum est in Ier. 52, 29 explicite notari hoc numero comprehendi deportatos non ex tota Iudaea, sed unice ex Ierusalem. Numerus tunc ex Iudaea deportatorum hic silentio praeteritur. Certum Iudaeae incolarum numerum loco temporis pariter deportatum fuisse ex Ier. 52, 15 deducitur, etsi hoc loco non indicatur, quantus fuerit. Ex Ier. 52, 30 sequitur anno 23 Nabuchodonosoris (id est: anno 582/1) adhuc unam deportationem locum habuisse. Quae ultima Iudaeorum deportatio „745 animas“ comprehendebat et probabiliter punitionis causa propter mortem Gedalyah illatam (Ier. 41, 1 sq; 4 Reg. 25, 25) a Babyloniorum rege decreta est. Quod autem numerum totalem omnium ex Iudaea in Babyloniam deportatorum attinet, E. Meyer (Entstehung des Judentums, 1896, p. 112) aestimat eum circa 40.000 virorum comprehendisse. Relate ad uxorum et liberorum numerum hic auctor animadvertit eum „aestimari non posse, quamquam in comparatione (cum virorum numero) multo minor fuit“. Quae ultima affirmatio non bene fundata esse videtur. Nam Ez. 23, 25; 24, 15 sq; Ier 29, 23 deportatio tam virorum quam mulierum praesupponitur; cf. Klamroth, op. cit., p. 21 sq. Ratione habita numeri, qui Esdr. 2, 64 = Neh. 7, 66 indicatur, numerus approximativus 40.000 (Nötscher, Das Buch Jeremias, p. 360, numerum 50.000 indicat) certo realitate maior censendus non erit.

<sup>25)</sup> De hoc oraculo cf. Gronkowski, op. cit., p. 47, n. 16.

<sup>26)</sup> Varia leguntur apud Pseudo-Epiphanium, De vit. prophetarum, c. 9 (M 43, 401); Athanasium, Or. de incarn. Verbi, c. 37 (MG 25, 160); Pseudo-Chrysostomum, Op. imperf. in Matth. Hom. 16 (MG 56, 895); Isidorum Hispal., De ortu et obitu patrum, c. 75 (M 83, 143). Cf. etiam Acta Bolland., t. X, Aprilis I. — Cf. F. Vigouroux, Dictionnaire de la Bi-



cum difficultatibus coniunctum fuisse ex 3, 16 a. 22 sq. deduci potest.

Qui textus descriptionem Ezechielis ad munus propheti-cum vocationis sequitur. Haec descriptio 1, 1—3, 15 conti-netur et quattuor in sectionibus absolvitur. Prima in sectione (1, 4—28 a<sup>27</sup>) narratur divinae manifestationis visio, quam filius Buzi ante suam propheticam legationem contemplari dignatus est. Locus, quo propheta hanc visionem habuit, non determinatur. Ex 3, 14 sq. tamen deduci potest eum in proximitate Tell Abib quaerendum esse. Secundam sectionem vv. 1, 28 b — 2, 7 constituunt. Quo in textu datur descriptio allocutionis, qua Yahveh filium Buzi de suis circa eum propositis edocuit. Imprimis ei Deus significavit se eum ut prophetam ad „domum Israëli“<sup>28</sup>) missurum esse hunc in finem, ut ei oracula divina notificet. Hanc missionem diffi-cillimam fore Yahveh expresse notat. Uti causam, ob quam eius legatio tantis cum difficultatibus coniuncta erit, Deus indicat Israëlem populum „rebellem“ fuisse et adhuc esse. Quapropter prophetam inter exsules quasi „inter scorpiones“<sup>29</sup>) versaturum esse certum est. Attamen ne eorum verba timeat eorumque vul-tus ne formidet (2, 6). Yahveh enim promittit se rem ita vertere velle, ut deportati finaliter Ezechielem a Deo missum prophetam agnoscant (2, 5). In subsequente sectione, quae vv. 2, 8—3, 11 comprehenditur, Ezechielis ad munus propheticum missio descri-bitur. Quae sectio in duas partes subdividitur, nempe in 2, 8—3, 3 et 3, 4—11. In prima parte symbolica filii Buzi legationis de-scriptio habetur. Propheta enim vidit ante se manum, quae de-scriptum ex utraque parte volumen tenet. Totum huius voluminis argumentum exclusive ex praedictionibus calamitatis et miseriae consistit. Quod volumen Ezechiel a Deo comedere iubetur. In 3, 4—11 prophetae mandatur, ut suum difficile munus aggrediatur.

---

ble, t. II (1912), art. Ezéchiel, col. 2152. — Memoriam filii Buzi inter Iu-daeos tempore Macchabaeorum vivam fuisse ex Ecclci 49, 10 conclu-ditur.

<sup>27</sup>) In 1, 1—3 simul totius Ezechielis libri et totius circa eius voca-tionem versantis capituli inscriptio habetur.

<sup>28</sup>) 2, 3. TM verbotenus: „ad filios Israel“; sed lectio LXX: „ad do-mum Israel“, cum Ezechielis usui loquendi magis consonans sit, probabi-lior esse videtur.

<sup>29</sup>) Sic verbotenus secundum TM in v. 2, 6.

Simul iterum admonetur, ut exsulis<sup>30)</sup> intrepide, posthabitisque omnibus eorum placitis, divina oracula annuntiet. In quarta et ultima sectione, quae vv. 3, 12—15 continetur, narratur, quomodo his factis manifestatio divina ad finem pervenerit et propheta, mandatum Dei exsequens, ad exsules in Tell Abib habitantes sese contulerit. In 3, 15 expresse notatur Ezechielem septem diebus inter deportatos in Tell Abib mansisse<sup>31)</sup>.

<sup>30)</sup> Notandum est 3, 5. 7 de *domo Israël* sermonem esse, cum 3, 11 expresse de exsulis uti „*filiis Ezechielis populi*“ sermo sit.

<sup>31)</sup> Vv. 3, 14—15 a variis auctoribus varie intelliguntur et explicantur. Verbotenus hi versus (ex TM) ita vertuntur: (v. 14) (Apparitione divina finita) spiritus (in TM verbum: *nasa'*) levavit me et (in TM verbum *laqach*; Vulg. „assumpsit“. Verbum *laqach* aliquando — cf. Gen. 5, 24; 4 Reg. 2, 3 sq; etiam Ps. 49, 16; 73, 24 — significationem „violenti a Deo facti raptus“ habere constat.) sumpsit me et (inde ab-ivi) (TM: „mar“; in LXX (cod. B.) et in Syr. (sec. ed. Polyglottam Lond.) hoc verbum omittitur; LXX hexapl. (et Vet. Lat.) = *μετέωρος* = *רם* (part. qal.) vel *מורם* (part. hof.) = „elevatus, sublevatus“. Cf. versionem LXX Ez. 10, 19 verbi *רם* = *μετεωρίζεσθαι*, Ez. 17, 23 verbi *מרום* = *μετέωρος*; Vulg. = amarus in ardore spiritus mei (id est: spiritus, qui prophetae inerat et de quo antea sermo erat; cf. Herrmann, op. cit., p. 7, n. 14 c), manu Yahveh supra me gravante (id est: propheta sibi conscius erat se sub potentis „Yahveh manus“ influxu esse). (v. 15) Venique ad deportatos in Tell Abib, qui (loco 'el legendum cum LXX 'al =) ad fluvium Kebar habitabant, (om: „et ubi illi habitabant“) mansique ibi septem diebus in medio eorum (TM: *mašemim*; Vulg. =) maerens“. De significatione verbi *mašemim* infra sermo erit. Quod autem v. 14 attinet, inter auctores disputatur, utrum propheta missione prophetica accepta (in spiritu vel in corpore) a Deo sit ad exsules „translatus“, an, visione finita, vates spiritu Yahveh ductus et impulsus „pedibus iverit“ ad Tell Abib. S. Hieronymus (i. h. l.) primam propugnabat sententiam, scribens: „transfertur propheta non, ut quidam aestimant, in spiritu, sed in ipso corpore“... Opinione hanc inter alios Prado, Maldonaldus, Cornelius a Lap., Calmet, Knabenbauer suam fecerunt. Hic ultimus (Commentarius in Ezechielem prophetam, in CSS, 1890, p. 50) putat contrariam sententiam, sc. quod Ezechiel a Deo impulsus pedibus ad exsules iverit, non posse conciliari cum vv. 12 et 14. Herrmann similis est opinionis (op. cit., p. 24, i. h. l.). Nam v. 14 ita explicat: „(In. v.) 14 primo verbum ex (v.) 12 repetitur et deinde spiritu effecta mutatio loci congruenter uti raptus („Entrückung“) designatur. Nam etsi (haec translocatio) ita fit, attamen non naturali modo, sed propheta durante motione in statu ecstasis est — hoc finis (*huius*) versus exprimit, cf. 1, 3; 3, 22; 8, 1; 33, 22; 37, 1; 40, 1 — et dislocatio perficitur influxu spiritus potentiae, quae eum elevavit“. Relate ad hoc nobis animadvertendum esse videtur ex fine v. 14 non sequi prophetam in ecstasi ad exsules venisse. Etiamsi negandum non

De versibus autem, qui immediate sequuntur, hoc animadvertendum est: Ex ruptura, quae inter 3, 16 a<sup>32)</sup> et 16 b<sup>33)</sup> existit quaeque exterius etiam sub oculos cadit eo, quod in textus masoretici editionibus liberum inter primam et secundam huius

sit expressionem: „manus Yahveh“, qua Ezechiel pluries utitur, saepius apud eum ecstasim significare, contestamur eam hoc loco hanc praecise exhibere notionem. Nobis persuasum est locutionem „manus Yahveh“ hoc in casu in sensu minus specifico adhibitam esse, sc. ad significandum prophetam, visione finita, adhuc influxum divinae in se potentiae sensisse. Quod sentimentum germanice apte verbo *Gottergriffenheit* exprimitur. Neque secundum nostram opinionem initio v. 14 exprimitur prophetam aut spiritu, aut in corpore ex loco visionis ad exsules „translatum esse“. Verbum *nasa'*, quod initio v. 14 legitur, significationem: „elevare, sublevare“ habere posse clarum est. Hoc verbum hic et 3, 12 habere non posse significationem: „iacentem in terra sublevare, ita ut in pedibus sistat“, ex 1, 28 b—2, 2 sq. sequitur. Vocem *nasa'* aliquando notionem protectionis vel discessus initi exprimere ex Gen. 29, 1; 31, 17; Lev. 22, 9 etc. (cf. Gesenius-Buhl, Hebr. u. Aram. Handwörterbuch über d. A. T., sub voce constat. Hanc significationem hic et 3, 12 applicandam esse ut certum tenemus. 3, 12 verbo *nasa'* hanc praecise notionem attribuendam esse ex comparatione cum 1, 28 b—2, 2 sq. una ex parte et altera ex parte ex eo sequitur, quod immediate post notatur prophetam „post se“ audivisse strepitum alarum cherubim (cf. 3, 12, 13). Quapropter verbum *nasa'* 3, 12. 14 apte expressione „ducere“ vel „impellere“ verti potest. Alterum verbum autem, quod initio v. 14 immediate post verbum *nasa'* legitur, verbum *laqach*, hoc in casu non habere significationem „raptus“ vel „(per aërem) translationis“ inde facile deducitur. Verbum *laqach* aliquando, diminuta propria vi, adhiberi e Gen. 2, 15; 12, 5; 27, 14 etc. constat. His enim in locis *laqach* cum alio verbo *pleonastice* unam exprimit notionem. Nostro in casu non modo *pleonastice* cum verbo *nasa'* in unum coalescit, sed potius per modum incrementi et crescendi. Quapropter initium v. 14 nobis — quoad sensum — sic vertendum esse videtur: „Et spiritus (Yahveh, quo repletus eram“) impulit me et duxit me et (*inde ab-*) ivi...). Cf. Matth. 4, 1: „Tunc (id est: post baptisma in Iordane) Iesus ductus est in desertum... „Bene Trochon, La Sainte Bible, Les prophètes: Ezéchiél, 1897, p. 39 (i. h. l.) hac de re scripsit: „Il semble plus simple d'admettre..., que le prophète n'est pas miraculeusement transporté d'une place à une autre..., mais qu'après la fin de la vision, il va, guidé par l'Esprit, retrouver ses concitoyens“.

<sup>32)</sup> V. 16 a verbotenus ita vertitur: „Et factum est post septem (*illos*) dies“, sc. de quibus in fine v. 15 sermo erat.

<sup>33)</sup> V. 16 b verbotenus ita vertitur: „Et factum est sequens verbum Yahveh ad me: (v. 17) 'Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel'...“ In vv. 17 b—21 propheta edocetur de suis cum munere speculatoris coniunctis officiis.

versus partem relinquitur spatium<sup>34)</sup>, elucet<sup>35)</sup> vv. 3, 16 b—21, qui instructionem prophetae a Yahveh datam de eius speculatoris officii continent, inter 16 a et 22 insertos esse<sup>36)</sup>. Quapropter vv. 3, 22—27 immediate ad 3, 16 a trahendos et, mediante hoc versu, uti chronologicam continuationem 3, 12—15 considerandos esse certum est.

Quae cum ita sint, dubium esse non potest, quin — conformiter ad indicationem chronologicam 3, 16 a — Ezechiel oraculum in 3, 22—27 relatum septem diebus post suam ad munus propheticum vocationem acceperit. Quid hoc intervallo fecerit, non clare constat, nisi quod hoc tempore, uti in 3, 15 indicatur, in Tell Abib mansit. Ratio autem, ob quam hoc indicari nequit, in eo consistit, quod vera v. 3, 15 b significatio dubia est.

Qui versus, prout in textu masoretico sonat, ita vertitur: Legatione prophetica accepta, (3, 14) a spiritu Yahveh impulsus reliqui divinae apparitionis locum, (v. 15 a) veni ad exsules in Tell Abib habitantes (v. 15 b) „mansique ibi septem diebus משימים in medio eorum“. Expressio mašemim est part. hif. a verbo šamam. Quod verbum autem praeter alias notiones et hanc *immobilitatis, torporis, stupiditatis, hebetudinis, consternationis* exprimit<sup>37)</sup>.

<sup>34)</sup> Cf. R. Kittel, Biblia Hebraica, 3. ed., Ezechiel (1932), p. 4; S. Baer, Liber Ezechielis, 1884, p. 4; ספר אורי ליישראל, ed. in Krotoschin (= Krotoszyn, oppidum Maioris Poloniae), ספר יהוואל, 1841, p. 6 b; כתבי קודש, t. VI: יהוואל, Varsaviae, 1902, p. 5 b; Dr. Philippson, Dr. Landau und Dr. Kaempf, Die hl. Schrift (Urtext, deutsche Uebersetzung), t. II, Leipzig, 1865, p. 132.

<sup>35)</sup> In LXX, Syr., Vulg. asperitas transitus inter 16 a et 16 b, perspicua in textu masoretico, amota est.

<sup>36)</sup> Vv. 3, 16 b—21 partim quoad sensum, partim verbotenus cum 33, 1—9 identicos esse nunc temporis ab auctoribus unanimiter agnoscitur. Cf. R. Kraetzschmar, Das Buch Ezechiel, in W. Nowack, Handkommentar zum A. T., 1900, p. 35 sq.; G. Jahn, Das Buch Ezechiel auf Grund der Septuaginta hergestellt, 1905, p. 20 sq.; J. Herrmann, Ezechielstudien, in R. Kittel, Beiträge zur Wissenschaft vom A. T., 2, 1908, p. 10 sq.; Heinisch, op. cit., p. 37—39, praesertim p. 39: Literarkritisches; J. Herrmann, Ezechiel übersetzt..., p. 25 sq.; Hölscher, op. cit., p. 54; Hertrich, op. cit., p. 77 sq.

<sup>37)</sup> Tres codices praebent lectionem *mesomem* = part. po. Quam lectionem etiam versiones Aq. Sym., Theod., Syr. Targ., Vulg. praesupponere videntur (cf. Herrmann, Ezechiel, p. 8, n. 15 f.). Haec ultima forma bis Esdr. 9, 3, 4 legitur, in utroque casu significationem „maerens“ vel „consternatus“ (Vulg. prima vice: „moerens“, secunda vice: „tri-

Quapropter varii auctores ex hoc versu affirmationem desumunt prophetam septem diebus post suam ad munus propheticum vocationem in domo sua *stupentem attonitumque et immobilem*, audita et visa secum volventem, illis totum infixum et abreptum, sedisse<sup>38)</sup>. Cuius explicationis confirmationem aliqui ex 3, 14 ducunt. Cum hoc in versu affirmetur prophetam „*amarum*“<sup>39)</sup> ex divinae manifestationis loco discessisse et „in ardore“<sup>40)</sup> spiritus ad deportatos pervenisse putant hanc „amaritudinem“ eo esse productam, quod „manus Yahveh“ potenter super eum gravabat<sup>41)</sup>. Quin locutioni „manus Yahveh“ autem hic significatio „*ecstasis*“ attribuenda sit, hi auctores non dubitant. Quae suppositio tamen falsa est. Bene de hac re Kraetzschmar iudicat<sup>42)</sup> scribendo: „manum Yahveh hic non efficere ecstasim visionemque, uti 1, 3; 8, 1; Is. 8, 11, neque praeternaturale aliquod“<sup>43)</sup> physicarum hominis virium incrementum, uti de Elia 1 Reg. 18, 46 (*refertur*), sed solum sentimentum perfectae a Deo subiugationis<sup>44)</sup> incapacitatisque huic resistendi“. Talem hoc in loco esse significationem expressionis „manus Yahveh“ indirecte et ex eo sequitur, quod in eodem versu expresse notatur prophetis“) habens. Pro ipsa huius versus significatione nullius est momenti, utrum *masemim* an *mesomem* legendum sit.

<sup>38)</sup> Cf. K n a b e n b a u e r, op. cit., p. 50. H e r r m a n n, *ibid.*, p. 24 sq., hac de re ita se exprimit: „Die Angabe am Schluss von (*Vers*) 15 spricht von einem 7-tägigen Zustand der Betäubung, der offenbar das Nachwirken und Nachzittern der vorhergehenden ekstatischen Zustände und Erlebnisse darstellt“. A. B e r t h o l e t (Das Buch Hesekiel, 1897, p. 18 sq.) et K r a e t z s c h m a r (op. cit., p. 35) inde adhuc hoc desumere volunt, quod torpor hic morbidae originis (sc. catalepseos) fuit. Quid de hac suppositione tenendum sit, infra exponetur.

<sup>39)</sup> Hebr. „mar“. Cf. supra. Cum haec vox in LXX cod. B et in versione Syr. omittatur, critice incerta est. Cf. H e r r m a n n, Ezechiel, p. 24.,

<sup>40)</sup> Vulg. „indignatione“.

<sup>41)</sup> Quomodo autem nonnulli ex his auctoribus significationem locutionis: „manus Yahveh“ intelligant, B e r t h o l e t (op. cit., p. 18) demonstrat. Qui enim auctor aestimat eo, quod „manus Yahveh“ supra Ezechielem gravasse dicitur, indicari in eo statum ad catalepsim accedentem esse productum (seu statum, „contra quem spiritus humanus psychologicae reactionis causa ut contra vim sibi illatam vehementer sese defendit“). Hanc assertionem omnino gratuitam esse nemo est, qui non videat.

<sup>42)</sup> Op. cit., p. 33.

<sup>43)</sup> Verbotenus: „eine unnatürliche Steigerung...“.

<sup>44)</sup> Verbotenus: „...das Gefühl des völligen Übermanntheits von Gott...“.

tam visione finita et legatione divina accepta, „in ardore spiritus“ ad exsules abiisse. Hac enim locutione nihil aliud exprimi, nisi filium Buzi potentem Dei vim et impulsum, quo ad munus subeundum fortiter adigebatur, in anima sua sensisse clarum est. Quodsi insuper indicatur vatem „amarum“ ex loco divinae apparitionis discessisse, hoc ita intelligendum est, quod simul sacra *indignatione* repletus fuerat propter exsulum obstinationem sibi iterum ac iterum a Yahveh significatam<sup>45</sup>). Ex 3, 14 ergo nullum deduci potest validum argumentum in favorem sententiae, quod propheta septem illis diebus, qui eius ad munus propheticum missionem secuti sunt, *stupens* et *immobilis* in domo sua manserit.

Attamen hoc certo modo neque ex 3, 15 b deduci potest. Actuali v. 15 b textu masoretico hoc revera affirmari constat. Sed LXX virorum versio<sup>46</sup>) cum loco mašemim lectionem ἀναστρέφμενος praebeat, assertionem Ezechielem septem illis diebus attonitum in sua domo sedisse ut omni dubio maiorem considerari non posse patet. Nam verbum ἀναστρέφειν in coniugatione *medi* notionem *commemorandi*, *manendi in aliquo loco*, *cum aliquo versandi* exhibere notum est. Cum in LXX versione vocabulo ἀναστρέφειν plerumque verbum „šub“ vertatur, Cornill<sup>47</sup>) et Herrmann<sup>48</sup>) inde concludunt interpretes Alexandrinos in suo textu probabiliter loco mašemim verbum משוב<sup>49</sup>) legisse<sup>50</sup>). Hanc LXX lectionem genuinam esse posse clarum est<sup>51</sup>).

<sup>45</sup>) Cf. K n a b e n b a u e r, op. cit., p. 50.

<sup>46</sup>) Et *Vetus Latina* versio, quae ex LXX fluxit.

<sup>47</sup>) C. H. C o r n i l l, Das Buch des Propheten Ezechiel, 1886, i. h. l.

<sup>48</sup>) Ezechiel, p. 8, n. 15 f.

<sup>49</sup>) Pi'lel a verbo šub.

<sup>50</sup>) J a h n, op. cit., p. 19, autem, cum aestimet verbum šub significationem versandi non habere, putat LXX versionis viros potius mešobeb legisse. Opinio tamen huius auctoris non bene fundata esse videtur. Verbum šub notionem *iterative eundem locum visitandi* omnino non excludere ex Ez. 35, 7; Ex. 32, 27; Zach. 7, 14; 9, 8 sequitur. Coniugationi autem, quae voce Pi'lel designari solet cuique verbum mešobeb adnumerandum est, hoc proprium esse, ut actionem iteratam exprimat, grammatici statuunt. Cf., ex. gr., H. B a u e r und P. L e a n d e r, Historische Grammatik der hebräischen Sprache des A. T., t. I, 1922, p. 281 sq. (p. 281 sub I, p. 282 sub p.).

<sup>51</sup>) Uti genuinam lectionem LXX admittunt: J a h n, op. cit., p. 19 sq.; H e i n i s c h, op. cit., p. 37. D. B u z y, Les symboles de l'Ancien Testa-

Qua lectione admissa, versui 3, 15 b hic attribuendus esset sensus, quod Ezechiel septem illis diebus, qui eius ad munus propheticum vocationem secuti sunt, cum exsulis in Thell Abib conversabatur. Hanc lectionem reapse admittendam esse ex eo consequi videtur, quod in 15 b expresse notatur prophetam in Thell Abib „*in medio eorum*“ mansisse. Qua locutione enim nihil aliud exprimi, nisi quod filius Buzi hoc temporis spatio in exsulum vico Thell Abib mansisset, quam maxime improbable est. Hanc locutionem hic magis specialem habere significationem ex eo inferre licet, quod iam initio 15 b expresse notatur Ezechielem „*ibi*“, id est: in Thell Abib, septem diebus „mansisse“. Quodsi insuper indicatur eum ibi „*in medio eorum*“, id est: in medio *exsulum*, mansisse, hoc probabiliter ita intelligendum est, quod propheta hoc tempore „*cum exsulis conversabatur*“. Quae conclusio eo probabilior esse videtur, quod verisimile est Ezechielem, qui in Thell Abib propriam possidebat domum, septem illis diebus non in aliena, sed in sua propria habitasse domo. Praeterea in favorem genuinitatis huius lectionis et hoc afferri potest, quod filius Buzi 3,1 b. 4. 11 mandatum a Deo accipit, ut ad exsules sese conferat eosque de visis auditisque certiores faciat. Quod divinum mandatum Ezechiel exsecutus esse profecto censendus non esset, si, neglecta omni occasione cum exsulis de sua prophetica legatione loquendi, in domo sua sedisset. Revera animadvertendum est in hoc mandato non expresse notari Ezechielem deportatos de sua prophetica vocatione instruere debere. Cum autem 3,1 b. 4. 11 dicatur prophetam exsulis a Yahveh audita verba annuntiare debere, dubium esse non potest, quin divinum mandatum hoc praecise modo interpretandum sit.

Qualis fuerit primae Ezechielis cum exsulis conversationis effectus, non indicatur. Nihilominus ex eo, quod vates ante suam legationem iterum ac iterum a Deo edocetur<sup>52)</sup> eius munus ob „domus Israël“ obstinationem non facile fore, sine errandi formidine supponi potest deportatos eius assertioni se a Yahveh prophetam vocatum esse fidem non dedisse. Nam variis ex Ezechielis libri textibus et pariter ex Ier. 29 constat<sup>53)</sup> exsulis

ment, 1923, p. 168, putat lectionem LXX quoad sensum identicam esse cum mašemim. Quae opinio tamen non est bene fundata.

<sup>52)</sup> Cf. 2, 3 sq.; 3, 7 sq.

<sup>53)</sup> Cf. Klammroth, op. cit., p. 29 sq., 53 sq.

firmiter persuasum fuisse hoc penitus impossibile esse, ut Yahveh suo templo Hierosolymis adhuc existente in terra aliena aliquem sibi prophetam assumere posset. Cogitatio autem, quod templi Yahveh et civitatis sanctae finis iam imminens esset quodque mox reliqua Iudaici populi pars in exsilium migrare deberet, deportatis prorsus aliena erat. Iis tunc temporis certum erat se mox, exsilio finito, in patriam reversuros esse. Quae cum intima esset exsulum convictio, facile intelligitur, cur Ezechiel nullam apud eos fidem invenerit<sup>54</sup>).

Quam praecise ob causam Ezechiel novam relate ad suum ministerium instructionem a Deo accepit. Cuius instructionis relatio in 3, 22—27 habetur. Cum huius textus significatio ab variis auctoribus varie explicetur, ex integro ut eius versionem demus, claritatis causa necesse est. Qui textus ita vertitur: (16 a) „Post septem (*illos*) dies... (v. 22) venit supra me (*ibi*)<sup>55</sup>) manus Yahveh. Dixitque ad me *Yahveh*: ‘Surgens egredere in planitiem<sup>56</sup>) ibique loquar ad te’. (v. 23) Itaque surgens egressus sum in planitiem. Et ecce ibi gloria Yahveh stabat instar gloriae, quam ad fluvium Kebar videram<sup>57</sup>). Et cecidi in faciem meam. (v. 24) Ingressusque in me spiritus statuit me super pedes meos. *Deinde* dixit ad me *Yahveh*: ‘Rediens include te intra domum tuam. (v. 25) *Nam quoad* te<sup>58</sup>), filii hominis<sup>59</sup>), ecce imponunt<sup>60</sup>) super

<sup>54</sup>) Cui interpretationi de primae Ezechielis publicae activitatis effectu certo sub respectu similis est explicatio, quam hac de re Smend (Der Prophet Ez., 1880, p. 23 sq.) proposuit. Cum autem hic auctor putet filium Buzi suam activitatem solum post septem illos dies, de quibus in 15 b sermo est, coepisse (cf. p. 23) cumque insuper vv. 3, 16 b—21 uti continuationem 3, 15. 16 a et vv. 3, 22 sq. uti continuationem 3, 16—21 consideret, eius opinio reapse valde a nostra distat. Quapropter non censemus ea, quae a A. Kuenen (Hist.-Krit. Einl. in die Bücher des A. T., pars II, 1882, p. 259 sq. 265), K r a e t z s c h m a r (op. cit. p. 35), H e r r m a n n (Ezechiel, p. 26) contra Smend prolata sunt, nostrae hypothesei obstare.

<sup>55</sup>) „Ibi“ om. cum LXX, Vet. Lat., Syr.

<sup>56</sup>) TM: בקעה. Jos. 11, 17; 12, 7 sic vocatur planities (Palaest.) merg ‘ayyun; Am. 1, 5: planities Damascena; Gen. 11, 2: planities Šin‘ar (=Vulg: Sennar) = Babyloniaca.

<sup>57</sup>) Cf. Ez. 1, 4 sq.

<sup>58</sup>) Verbotenus: „Et tu...“

<sup>59</sup>) Hebr. „ben ‘adam“ = „homo“. Sic constanter Deus in colloquiis suis Ezechielem vocat.

<sup>60</sup>) TM: נתתי; LXX: (δέσμοι) δέδονται, Vulg: „(vincula) data sunt“ = nif. נתתי; Aeth: (Deus de se:) „dabo“ = נתתי.



te vincula ligantque<sup>61</sup>) te iis, ita ut non *possis* apparere<sup>62</sup>) in medio eorum<sup>63</sup>). (v. 26) Ideo linguam tuam adhaerere faciam palato tuo, ita ut obmutescas nec sis iis vir obiurgans<sup>64</sup>), quod<sup>65</sup>) domus rebellionis<sup>66</sup>) sunt. (v. 27) Cum autem tecum locutus ero, aperiam os tuum et *tunc* loqueris ad eos: Sic dixit Dominus Yahveh.... Qui (*haec verba*) audire voluerit, audiat, quique (*ea*) praetermittere voluerit, praetermittat. Nam domus rebellionis sunt“.

Obvia huius textus significatio haec est: Elapsis illis septem diebus, qui filii Buzi ad munus propheticum legationem secuti

<sup>61</sup>) TM: וואסרי; ita etiam LXX: δῆσσοσσ: et Vulg: ligabunt.

<sup>62</sup>) Verbotenus: egredi, quoad sensum autem: apparere = in publicum prodire. Bene vertunt Herrmann (p. 9): „und du wirst *dann* nicht unter ihm ausgehen können“ et Breuer (Das Buch Jecheskel, 1921, p. 18): da sollst du nicht in ihre (*r*) Mitte (*auf*-) treten“.

<sup>63</sup>) Alii (minus recte; cf. infra) vertunt: „...ecce imponent... ligabuntque te iis...“.

<sup>64</sup>) מ"איש מוכיח = part hif. a verbo יכח = vituperare, castigare. In coniugatione hif. = litem dirimere (Gen. 31, 42), diiudicare (Is. 11, 3), rationem petere (Gen. 21, 25), vituperare, reprehendere (Ps. 50, 8. 21), castigare, poena afficere (Jer. 2, 19; Ps. 141, 5). Bene itaque vertunt Vulg: „vir obiurgans“ (= censor, monitor), LXX: ἀνῆρ ἐλέγγων.

<sup>65</sup>) Herrmann (p. 9) finem v. 26 (sc. verba: quod domus rebellionis sunt) ut glossam considerat. Nam in nota 26 a eius spuriam originem his verbis „demonstrare“ conatur: „Quid sibi *haec* sententia hic vult?“ Qua ex interrogatione sequitur eum non perspexisse verum huius sententiae sensum. Si particulam כִּי, quae hanc sententiam introducit, loco „nam“ ut coniunctionem causalem *subordinatam* considerasset, facile intellexisset eam introducere sententiam (non coordinatam, sed) subordinatam explicantem, cur propheta esse deberet „vir obiurgans“.

<sup>66</sup>) ביתמרי. Dt. 31, 27 legitur Moysen Israëlitis dixisse se nosse eorum (meri =) animum contentionis reluctantem sese voluntati divinae et praeceptis Dei opponentem. Qua de spiritus reluctance 1 Sam. 15, 13 affirmatur eam peccato magiae aequiperari posse. Num. 17, 25 (Vulg. 10) Israelitae a Deo nominantur „filii rebellionis“. Is. 30, 9 sq. explicatur, cur Israel fuerit populus (verbotenus: rebellionis, id est =) rebellis. Nam „filii mendaces sunt, filii nolentes audire voluntatem Yahveh. (v. 10) Qui videntibus (id est: prophetis) dicunt: 'Nolite videre... nobis ea, quae recta sunt, (*potius*) loquimini (annuntiate) nobis res iucundas (= quae nobis placent)... (v. 11) Recedite a via, declinate a semita, (qua proceditis), tollite a nobis Sanctum Israelis'!“ — Apud Ezechielem pluries (2, 5 sq.; 3, 9. 26 sq.; 12, 2 sq.; 9, 25; 17, 12; 24, 3) Israelitae, tam Iudaei quam deportati, „domus rebellionis“, id est: *genus rebelle* vocantur.

sunt, Ezechiel a Yahveh mandatum accipit<sup>67)</sup> sese in planitiem<sup>68)</sup> conferendi, cum ibi Deus ei aliquid intimare vellet. Quod mandatum exsequens vates sine mora ad indicatum sibi locum abiit ibique eiusdem manifestationis maiestatis divinae, quam septem diebus antea ad fluvium Kebar contemplatus est<sup>69)</sup>, testis fuit. Splendore divinae apparitionis subiugatus, propheta humi prostratus Deum adorat. Sed paulo post erigitur<sup>70)</sup> hunc in finem, ut gravem a Yahveh instructionem accipiat, vv. 22—24 a. Qua in instructione hoc imprimis Ezechieli iniungitur, ut in posterum domi se contineat, v. 24 b. Cuius ratio autem, uti videtur, in subsequentibus versibus explicatur. Nam in v. 25 propheta a Deo edocetur se vinculis ligatum iri<sup>71)</sup>, ita ut in medio exsulum non possit apparere. Ne hoc tempore deportatis ob eorum contumaciam et obstinationem sit vitae ac morum censor et castigator, Yahveh in v. 26 declarat se effecturum esse, ut propheta obmutescat. Quod tamen filio Buzi imponendum silentium non omnino absolutum erit. Nam in v. 27 Deus prophetae notificat eius silentium toties interruptum iri, quoties vates oraculum divinum exsulis annuntiandum acceperit. Tunc propheta audita Yahveh verba deportatis intimabit posthabitis omnibus eorum placitis.

<sup>67)</sup> In v. 22 notatur antea supra Ezechielem „manum Yahveh“ venisse. Hac locutione affirmari vatem tunc in ecstasim incidisse etiamsi non omnino exclusum, tamen parum probabile esse videtur. Cum verbum „manus“ in Veteris Testamenti libris saepius metaphorice notionem „potentiae“ exprimat, admitti potest adhibita hic locutione indicari „virtutem Dei“ prophetam impulsisse (cf. Heinisch, op. cit., p. 39; P. Schmalzl, Das Buch Ezechiel, in B. Schaefer, Kurzgefasster wissenschaftlicher Commentar zu den Hl. Schriften des A. T., 1901, p. 69), ut divinum mandatum statim post accipiendum perciperet et exsequeretur.

<sup>68)</sup> Huius planitiei adhuc 8, 4 et 37, 1. 2 mentio fit. De eius exacto situ nihil scimus. Cum autem ex contextu sequatur prophetam mandatum in planitiem sese conferendi in Thell Abib accepisse, probabile est hanc non valde distantem ab hoc pago fuisse.

<sup>69)</sup> Ex eo, quod in v. 23 expresse notatur Yahveh hac altera vice eodem modo prophetae apparuisse ac prima vice ad fluvium Kebar, sequitur hanc alteram divinam manifestationem non in eodem ac primam collocandam esse loco.

<sup>70)</sup> Verbotenus 24 a: *spiritu*, id est: *virtute* divina erigitur; cf. 2, 1. 2.

<sup>71)</sup> Perfectum, quod hic in TM legitur, non est, uti Bertholet (op. cit., p. 22 sq.) vult, sic dictum „perf. confidentiae“, sed, uti bene Herrmann (Ezechiel, p. 9, n. 25 b) notat, „perf. consecutivum“, cum consecutionem temporum indicet.

Deo declarante exsules „genus rebelle“ esse haec instructio ad finem perducitur.

Qua in instructione de tribus igitur Ezechielis *vinculis* sermo est, scilicet: 1) de eius domi continentia, 2) de eius catenis, 3) de eius silentio. Ratio autem, cur prophetae haec „vincula“ imponantur, non indicatur. Neque expresse notatur, num et qualis existat nexus vel relatio inter haec diversi generis „vincula“. Praeterea animadvertendum est naturam vatis „catenarum“ omnino indeterminatam exhiberi. Quae cum ita se habeant, mirum non est, quod varii auctores varie hanc instructionem explicant.

Ita, exempli gratia, unus ex recentioribus, Knabenbauer, opinatur, quod propheta in vv. 24 b—27 „actionem symbolicam peragere iubetur, simili modo quo Is. 20, 1 seq., quo Ier. 13, 1 et 19, 10 etc.“<sup>72)</sup>. Quo innixus supposito aestimat Ezechielem tempore suae domi continentiae „revera ligatum fuisse et ligatum a Iudaeis esse conspectum“<sup>73)</sup>. Ad quaestionem autem, a quo vates fuerit ligatus, in hunc modum respondet: „Sunt qui velint eum ligatum a populo irato<sup>74)</sup> vel quia eum amentem habebant (*Prad. Mar. Tir. Lap.*<sup>75)</sup>; verum id et durum est et alienum a divino consilio<sup>76)</sup>. Debet esse signum; sed ut id esse possit, non debet tanquam mentis inops haberi. Quare explica vel cum *Sa*<sup>77)</sup>: curabis te ligandum a domesticis, vel uti 4, 8 indica-

<sup>72)</sup> Op. cit., p. 53. Rationem autem huius opinionis K. ex 4, 3 petit, ubi dicitur prophetam „signum“ debere esse pro Israel. Ad hoc tamen respondendum est omnino improbabile esse 4, 1 sq. considerari posse uti simplicem continuationem vv. 3, 22—27. Quapropter tota huius auctoris argumentatio solidis fundamentis caret.

<sup>73)</sup> Knabenbauer igitur Ezechielis „catenas“ sensu litterali et stricto intelligit putans prophetam veris, materialibus, vinculis ligatum fuisse.

<sup>74)</sup> Quam expressionem ita intellige, quod propheta ex odio et ira ab exsulis sit ligatus.

<sup>75)</sup> Id est: Hier. Pradus S. I. († 1595; de eius in Ez. opere cf. Knabenbauer, *ibid.*, p. 14); Io. Mariana S. I. (1624); Iac. Tirin S. I. († 1636); Cornelius a Lap. (1637).

<sup>76)</sup> Concedendum quidem est hoc reapse „durum“ fuisse, si propheta ab exsulis aut ex odio, aut praesertim ea ex ratione, quod amentem eum haberent, ligatus fuisset. Sed propter hoc non licet opinari hanc hypothesim a limine esse respuendam. Altera autem affirmatio Knabenbauer, sc. hoc alienum fuisse a divino consilio, non est simpliciter supponenda, sed demonstranda.

<sup>77)</sup> Id est: Gaspar Sanctius S. I. († 1628).

tur<sup>78</sup>) vincula ei esse iniecta a Deo... Eo autem signo figurari<sup>79</sup>) obsidionem urbis Ierusalem<sup>80</sup>), facile cum S. *Ephr.*<sup>81</sup>), *Hier.*<sup>82</sup>), *Theod.*<sup>83</sup>) aliisque senties; „quod in domo clauditur, quod vinculis alligatur, quod non egreditur ad eos inter quos habitat, sed inter multitudinem captivorum solitudinem carceris patitur, obsidionis indicium est, quod clausa Ierusalem atque circumdata ab exercitu Chaldaeorum nullum habitantium foras exire permittet“ (*S. Hier.*)<sup>84</sup>)“. Ezechielem non ligari ab exsulibus, sed a Deo, Knabenbauer et eo commendari putat, quod „altera vatis conditio qua se mutum exhibet ad Deum auctorem refertur v. 26“<sup>85</sup>). Quoad sensum autem huius textus haec animadvertit: „quia — scribit —

---

<sup>78</sup>) Qui versus ex TM ita vertitur: „Et ecce impono (= Yahveh) supra te (= Ez.) vincula, ita ut non possis convertere te ex (*altero*) tuo latere in (*alterum*) tuum latus, donec expleti sint dies obsidionis tuae (id est: obsidionis Ierusalem, quam hac in actione symbolica repraesentas)“. Vv. 3, 25 et 4, 8 revera analogos esse nemo est, qui negare audeat. Sed hac analogia probari posse horum versuum identicam significationem negamus. Quapropter immerito Jahn 4, 8 ad 3, 25 trahit, ex his duobus versibus unum in hunc modum efficiens: (3, 25) „Et tu, fili hominis, (ecce =) *vide*, vincula tibi imponam [iisque te ligabo] et non poteris te convertere ex altero latere in alterum, donec dies tuae inclusionis (Jahn verbotenus: „Einschliessung“ (hebr. mesorecha loco „obsidionis“) tuae expleti sint“ (op. cit., p. 24 sq.). Hunc modum procedendi illicitum et summe arbitrarium esse omnes facile propter hoc concedent, quod 4, 8 ad actionem symbolicam in 4, 4—8 descriptam pertinet. Id autem, quod finis v. 4, 8 (sc.: „donec expleti sint dies obsidionis tuae“) ad actionem symbolicam in 4, 1—3 relatam respicit, non necessarie indicat v. 4, 8 spurium esse. Nam huius rei alia adhuc possibilis est explicatio, nempe haec, quod in toto Ezechielis cap. 4 duo symbolorum genera *intentionaliter* combinantur. Cf. de hac re Gronkowski, op. cit., p. 22 (et p. 17—22). Cum autem 4, 8 ad distinctum a 3, 22—27 oraculum pertineat, Knabenbauer immerito ex hoc versu argumentum petit in favorem sententiae, quod vincula, de quibus in v. 3, 25 sermo est, a Deo prophetae sunt imposita. Cf. Herrmann, Ezechiel, p. 9, n. 25 a.

<sup>79</sup>) Expressionem „signum“ hic a Knabenbauer adhibitam aequiperandam esse huic „actionis symbolicae“ ex contextu constat.

<sup>80</sup>) De hac symbolica Hierosolymorum obsidione 4, 1—3 sermo est.

<sup>81</sup>) S. Ephraem, Op. syr., II, p. 165—202.

<sup>82</sup>) S. Hieronymus, Comm. in Ez. (M 25, 15—490).

<sup>83</sup>) Theodoretus, In Ez. (M 81, 801—1256).

<sup>84</sup>) Op. cit., i. h. l.

<sup>85</sup>) Ibid., p. 54. Hanc affirmationem pure hypotheticam esse nulloque solido inniti argumento patet.

(*exsules*) adeo sunt contumaces et obstinati, prius rebus, actionibus, symbolis ad attentionem sunt excitandi et admiratione quadam vel saltem curiositate imbuendi<sup>86)</sup>, ut ea ratione sermonibus via paretur<sup>87)</sup>. Sententiam a Knabenbauer propositam Schmalzl<sup>88)</sup> et Fillion<sup>89)</sup> suam fecerunt.

Quae sententia tamen admitti nequit. Nam falso innititur supposito vv. 3, 22—27 introductionem ad 4, 1—5, 17 considerandos esse. Hos versus non posse considerari uti introductionem ad 4, 1 sq. omnes recentiores auctores unanimiter concedunt. Praeterea, si vv. 3, 22 sq. non essent nisi simplicis actionis symbolicae peragenda intimatio, explicanda esset ratio, cur Deus peractionem huius „signi“ non solito ac ordinario, ut ita dicamus, modo prophetae *domi*, sed modo extraordinario in speciali manifestatione extra Thell Abib, in „planitie“, revelaverit. Ex hoc solemniore revelationis modo conclusionem possibilem esse ad gravitatem tunc revelatae materiae patet<sup>90)</sup>. Nam ex Ezechielis libro constat<sup>91)</sup> vatem inspirationem ad actiones symbolicas perficiendas tot vicibus sine speciali divina manifestatione accepisse. Deinde et hoc notandum est Knabenbauer illicite ex comparatione

---

<sup>86)</sup> His verbis Knabenbauer implicite concedit exsules initio erga prophetam saltem omnino indifferentes fuisse. Cum autem hic auctor putet hoc Ezechielis iam occasione eius ad munus propheticum vocationis intimatum fuisse eo, quod Yahveh tunc eum iterum ac iterum edocuit exsules „genus rebelle“ esse, censet in 3, 24b—27 relatam instructionem nullam ob aliam datam esse causam nisi ob desiderium divinum prophetae indicandi modum, quo in talibus condicionibus constitutus agere deberet, ne eius labor frustraretur. Notandum tamen est *Knabenbauer* ne indirecte quidem explicare rationem, cur Deus hanc intimationem vati non iam occasione eius vocationis dederit. Huic considerationi non omnem denegandum esse valorem in re nostra patet.

<sup>87)</sup> Op. cit., p. 54. His dictis *Knabenbauer* ita concludit: „...pro initio vates prohibetur, ne sit illis (= exsulis) in virum obiurgantem... Post septem illos dies v. 15 incipit (*igitur*) munus non a concione, sed ab actione symbolica quam quo maior attentio et admiratio excitetur, mutus peragere debet“ (ibid.).

<sup>88)</sup> Op. cit., p. 69. Secundum *Schmalzl* vv. 3, 22—5, 17 unitatem litterariam constituunt.

<sup>89)</sup> L.-Cl. *Fillion*, La Sainte Bible commentée, t. VI, 8. ed. (1924), p. 20 sq. Cf. etiam *L. Tondelli*, Le profezie di Ezechiele, 1930, p. 10 sq. Qui auctor reproducit succincte a *Knabenbauer* propositam opinionem.

<sup>90)</sup> Cf. Ez. 8, 1; 37, 1; 40, 1. 2.

<sup>91)</sup> Cf. 4, 1. 4. 9; 5, 1; 12, 1. 17 etc.

3, 25 cum 4, 8 et immerito ex comparatione 3, 25 cum 3, 26 inferre „catenas“ filio Buzi ex divino mandato *a domesticis* impositas fuisse. Hoc a domesticis fieri debere nullo, uti constat, verbo in ipso textu indicatur. Gratis etiam hic auctor asserit prophetam tempore suae domi continentiae „revera ligatum fuisse et ligatum ab exsulibus esse conspectum“. Hanc ultimam assertionem nullis inniti positivis ipsius textus indiciis clarum est.

Aliam huius textus explicationem Bertholet dedit. Ex comparatione 3, 24 b cum 8, 1; 14, 1 recte infert iniunctionem Ezechieli a Deo factam, ut domi sese contineret, non tam rigide esse interpretandam, ut ea omnis excluderetur exsulibus facultas prophetam hoc tempore visitandi. Relate ad quaestionem, a quo filio Buzi vincula, de quibus in v. 25 sermo est, imponenda sint, *ut possibilem* admittit opinionem hoc fieri debere ab exsulibus et concludit, quod hac in hypothesi versu 25 explicitam contineri confirmationem primam Ezechielis coram deportatis publicam activitatem sine ullo fuisse positivo effectu certum esset<sup>92</sup>). Nihilominus Bertholet aliam utpote probabiliorem tenet sententiam. Instituta ex 3, 25 cum 4, 8 comparatione infert in 3, 25 „prorsus non agi de cuiuscumque generis materialibus vinculis, sed de quodam ligamine<sup>93</sup>), quod ab ipso Deo prophetae est iniectum“<sup>94</sup>). Silendi autem filio Buzi impositam iniunctionem ita intelligit: „Si — scribit — est rectum totam, sicut fieri solet, Ezechielis subsequentem activitatem usque ad 33, 22 (cf. 24, 27) uti hic a Deo impositam silendi iniunctionem considerare, tunc solum de valde relativo silendo sermo esset. Nam Ezechiel non solum cum iis, qui eum domi visitant (8, 1; 14, 1; 20, 1), colloquitur, sed etiam ad populum loquitur (11, 25; 21, 5. 12; 24, 18 sq.). At praecise ob hos ultimos locos solitam interpretandi rationem sustineri non

<sup>92</sup>) A. Bertholet, Das Buch Hesekiel, 1897, p. 22: „Dieser Vers wäre dann eine ausdrückliche Bestätigung des Misserfolges von Hes.'s erstem Auftreten...“.

<sup>93</sup>) Verboten us: „Gebundenheit“. — Argumento ex comparatione 3, 26 cum 4, 8 desumpto nullam inesse vim „probativam“ iam notavimus.

<sup>94</sup>) Quapropter Bertholet in v. 25 loco lectionis TM: „(e x s u l e s) dabunt“ cum LXX et Vulg: „(v i n c u l a) dabuntur“ et loco lectionis TM. LXX, Vulg: „et (e x s u l e s) ligabunt te“ lectionem c o n i e c t u r a l e m: „et (e g o D e u s) ligabo te“ adoptat. His admissis Bertholet hunc versum ita vertit: „Et tu, fili hominis, (ecce =) vide, vincula tibi imponentur et ligabo te iis, ut non egrediaris inter eos“.

posse certum tenemus<sup>95</sup>). Quapropter nobis admittendum esse videtur Ezechielem reapse modo intermittente facultate loquendi fuisse privatum<sup>96</sup>). Hanc intermittentem *alaliam* morbidae filii Buzi constitutionis physicae fuisse externum effectum hic auctor cum Klostermann et aliis firmiter sibi persuasit<sup>97</sup>). Opinionem a Bertholet propositam inter alios et Kraetzschmar adoptavit<sup>98</sup>).

<sup>95</sup>) Ibidem, p. 23. Cum autem Bertholet v. 3, 27 ut authenticum retineat (relate ad hunc v. scribit: „Quoties Deus aliquod verbum ei (intimandum) habebit, facultas loquendi ei reddetur, ut id possit communicare suis (exsiliis consortibus“), hanc ultimam deductionem contra logicam peccare patet.

<sup>96</sup>) Ibidem, p. 23: „Wir möchten dagegen bei Hes. einen thatsächlichen Zustand intermittierender Sprachlosigkeit annehmen...“.

<sup>97</sup>) Huius hypothesis auctor est A. Klostermann, Ezechiel ein Beitrag zur besseren Würdigung seiner Person und Schrift, in Theologische Studien und Kritiken, 1877, p. 391—421. Hic enim ex 1, 28b—2, 2 (cf. 3, 12. 14); 3, 14 („amarus“). 15b („stupens“). 25 („vincula“). 26 („silentium“); 4, 4—8; 24, 25. 27; 33, 21—22 et aliis locis inferre vult Ezechielem catalepsi, quae cum intermittente alalia coniuncta erat, afflictum fuisse. Huius auctoris opinionem C. von Orelli (Das Buch Ezechiel, in H. Strack und O. Zöckler, Kurzgefasster Kommentar zu den Hl. Schriften A. und N. T., 1896), L. Gautier (La mission du prophète Ezéchiel, 1891, p. 56—92), A. Bertholet (op. cit., p. 19 sq.; 23; 27 et passim), Kraetzschmar (op. cit., p. 38 sq.), aliique adoptaverunt. Contra eam scripserunt: Kuenen, op. cit., t. II, p. 258 sq.; Jahn, op. cit., p. 24 sq.; Hölscher, op. cit., p. 56 sq., D. Buzy, Les symboles de l'Ancien Testament, 1923, p. 159—177, aliique plures.

P. S. De novo ab A. Bertholet in Ezechielem conscripto commentario (Hesekiel, mit einem Beitrag von K. Galling, in Handbuch z. A. T., 13, 1936) notitia nobis solummodo tunc pervenit' cum hic articulus iam typis impressus erat. Quod notetur, ut percipiatur ratio, cur huius recentissimi operis non facta sit nisi haec brevis mentio. Quamquam Bertholet in „Prologo“ (p. V) affirmat suum „novum“ commentarium „ex toto“ differre ab eo, quem anno 1897 publici iuris fecit, tamen in re, quae circa naturam Ezechielis „vinculorum“ versatur, eius opinio fere eadem mansit; cf. p. XVII et praesertim p. 15 sq. Quod hic (*id est*: p. 15) contra nostrum modum vv. 3, 24—27 interpretandi sat apodictice profertur, demonstrat hunc auctorem et hac vice non perspexisse intimum horum versuum sensum.

<sup>98</sup>) Kraetzschmar (op. cit., p. VI; 38 sq.) eandem propugnat sententiam, cum putet Ezechielis „vincula“ morbidae fuisse originis. Ut certum habens haec „vincula“ vehementibus ac aliquando sat diuturnis paralyseos, alaliae aliisque catalepsi propriis impetibus sese manifestasse, non dubitat, quin hic morbus filio Buzi quam maxime molestus fuerit. Huius morbi accessiones interdum tam vehementes fuisse, ut propheta ad strictam domi

Quae sententia nullatenus admitti potest. Nam eius fautores errant, cum post Klostermann affirmant ex variis Ezechielis textibus deduci posse eum catalepseos morbo affectum fuisse. Hoc ex 3, 24 b—27 inferri non posse auctorum in diem crescens numerus concedit. Hanc deductionem omnino erroneam esse iam Kuenen<sup>99)</sup> expresse notavit. Nam hic iuste animadvertit, quod „v. 3, 24 b non describitur, quo (*Ezechiel*) premitur malo, sed ei praescribitur, quomodo se gerere debeat; secundum v. 26 (*autem*) id, quod silere debet, aequiperandum est eius in publicum uti monitor prodeundi prohibitioni“<sup>100)</sup>. Praeterea cum Herrmann<sup>101)</sup> notandum est, quod metaphorica locutionum „vinculorum“ necnon „linguae ad palatum adhaesionis“ adhibitio, uti in toto Veteris Testamenti usu loquendi quam maxime singularis et penitus continentiam absolutamque silendi observationem cogeretur, firmiter sibi persuasit. Ex 33, 21—22 infert Ezechielem usque ad annum 586 huius morbi accessionibus fuisse subiectum. K r a e t z s c h m a r autem innovat, cum aestimet vv. 3, 22—27 non exhibere historicam relationem de revera a Deo accepta instructione, sed potius subiectivam prophetae explicationem intimae suorum „vinculorum“ significationis. Nam hac de re ita se exprimit (p. 38 sq.): „Das Verstummen kann ... nur eigentlich, körperlich verstanden werden von einer intermittierenden Sprachlosigkeit, einem krankhaften Zustande von Alalie, der den Propheten von Zeit zu Zeit befahl und am öffentlichen Auftreten hinderte... Dann aber ist dieses Stück hier nur (cur?) als eine Darstellung ex post gleich Hos. 1—3 (hanc interpretandi methodum etiam Os. 1—3 applicandam esse false a K. supponitur. Cf. de hac re D. B u z y, Les symboles, p. 55 sq.) zu verstehen, in der Weise, dass dem Propheten diese krankhaften und oft längere Zeit andauernden Zufälle, verbunden mit körperlicher Lähmung, dem Gebundenwerden von Gott v. 25, von hintennach als von Gott gewirkt und bedeutsam erschienen, als ein Stück darstellender Prophetie, sofern Gott dadurch dem Volke kund thun wollte, dass er es seines göttlichen Wortes gar nicht mehr für wert halte.... Da diese Zufälle seit der am Ende der siebentätigen Betäubung gehabten grossen Vision datierten und wohl eine Folge der tiefen seelischen Erregung waren, in die der Prophet durch sie versetzt wurde, so stellt es Ez. hier so dar, als ob Jahve von vorn herein dieses sein Leiden in den Dienst seiner göttlichen Ökonomie gestellt und ihm damals dasselbe auferlegt habe“. Hanc interpretandi methodum cum Ezechielis textu incompatibilem et hac ex ratione respueudam esse clarum est. Nihilominus et J a h n (op. cit., p. 24 sq.) hanc miram defendit opinionem.

<sup>99)</sup> Op. cit., II, p. 259.

<sup>100)</sup> Verbotenus: „3, 24 b wird nicht beschrieben, woran er leidet, sondern ihm vorgeschrieben, wie er sich benehmen soll; nach 26 ist seine Stummheit gleich seinem Nichtauftreten als Ermahner“.

<sup>101)</sup> Ezechielstudien, p. 78.



exceptionalis, habenda esset, si ex his expressionibus ad catalepticam prophetae „vinculorum“ originem concludere liceret. Contra hanc interpretationem et hoc militat, quod haec suppositio cum prophetae v. 24 b intimata iniunctione domi sese continendi difficile componitur<sup>102</sup>). Admissa enim hac hypothesi, prophetae v. 26 annuntiatam taciturnitatem in alia sua habuisse causam certum esset. Sed tunc Ezechielis domi sese continendi facta iniunctio saltem inutilis aestimanda esset.

Deinde contra hanc explicationem et hoc afferendum est, quod ex 33, 21—22 immerito deducitur conclusio filium Buzi usque ad annum 586 catalepseos accessionibus obnoxium fuisse. Qui textus enim ita vertitur: „(v. 21) anno *undecimo*<sup>103</sup>), decimo mense, quinta huius mensis *die*, post nostrae deportationis *initium* venit ad me ex Ierusalem profugus<sup>104</sup>) nuntians civitatem (*sanctam*) captam esse. (v. 22) Manus autem Yahveh<sup>105</sup>) venerat supra me vespere ante profugi adventum (*glossa*: aperuitque os meum)<sup>106</sup>) *eratque supra me*, usque dum ad me venit mane. Aperuitque os meum<sup>107</sup>) et non silui ultra“. Annum *undecimum* Ezechielis deportationis identicum esse cum anno 586 constat. Cum autem instructio 3, 22—27 anno filii Buzi ad munus propheticum vocationis<sup>108</sup>) sit data, inde 3, 16 a. 22—27 et 33, 21—22 spatio temporis fere septem annorum separantur. Ex eo, quod in 33, 22 affirmatur prophetam ab profugi ad se adventu, ab primo igitur de civitatis sanctae expugnatione nuntio, non ultra mutum fuisse Bertholet et Kraetzschmar inferunt vatem hoc praecise temporis puncto liberatum fuisse ab catalepseos accessionibus. Quae conclusio iam

<sup>102</sup>) Cf. Ed. König, Neue Kirchliche Zeitschrift, 1892, p. 655.

<sup>103</sup>) TM: „duodecimo“ anno; sed legendum est cum 8 cod. hebr. et aliquibus LXX versionis cumque versione Syr.: „undecimo“ anno.

<sup>104</sup>) In se possibilis esset hypothesis expressionem „profugus“ hic collective (de deportatis post urbis Ierusalem expugnationem in Babyloniam Iudaeis) — uti, ex gr., Gen. 14, 13 — adhibitam esse. Cum autem in hoc versu dicatur profugus ad prophetam („ad me“) venisse, certum esse videtur hic de uno profugo sermonem esse.

<sup>105</sup>) Non liquet, quid hic expressione „manus Yahveh“ exhibeatur.

<sup>106</sup>) Haec verba, cum difficile cum subsequente sententia iungantur (cf. Hermann, Ezechiel, p. 211, n. 22 b) cumque praeterea paulo post repetantur, uti glossa consideranda sunt. Cf. Hermann, Ezechielstudien, p. 33; Heinisch, op. cit., p. 160.

<sup>107</sup>) Cf. notam praecedentem.

<sup>108</sup>) Cf. 3, 15 b. 16 a.

propter hoc quam maxime suspecta est, quod non facile intelligitur, qualis esse possit interna relatio inter tunc allatum primum de civitatis sanctae expugnationis nuntium et finem huius atrocis et diuturni — ut supponitur — prophetae morbi. Praeterea notandum est in 33, 22 minime notari „Yahveh“ tunc vati „os aperuisse“. Ex contrario, ex hoc versu sequi videtur a profugo allatum nuntium vati „os aperuisse“ ita, ut in posterum libere loqui posset.

Etiam ex 24, 25—27 deduci potest adhibitam 33, 22 locutionem „os aperire“ prorsus aliam exprimere notionem, quam a Bertholet et Kraetzschmar supponitur. Qui enim versus ita vertuntur: „(v. 25) Et tu, fili hominis, nonne<sup>109)</sup> die, qua tollam ab eis<sup>110)</sup> propugnaculum eorum, causam gaudii et gloriae<sup>111)</sup> eorum, delicias eorum, (scilicet templum Yahveh)<sup>112)</sup>, eorumque (earum) onus<sup>113)</sup>, sc. eorum filios necnon eorum filias<sup>114)</sup>, (v. 26) illa (scilicet) die, qua ad te veniet profugus<sup>115)</sup> annuntians id<sup>116)</sup> tibi<sup>117)</sup>, (v. 27) illa — inquam<sup>118)</sup> — die aperietur una cum profugi adventu<sup>119)</sup> os tuum et loqueris nec silebis amplius. Sic ergo<sup>120)</sup> eris eis<sup>121)</sup> portentum et (inde) cognoscent, quod ego sum Yahveh“.

Qui textus magni est in re nostra momenti. Nam in eo explicatur ratio, cur Ezechiel usque ad in 33, 21—22 indicatum temporis punctum „mutus“ fuerit. Quam rationem non aliam

<sup>109)</sup> Sic TM et LXX; Vulg. loco „nonne“ lectionem „ecce“ praebet.

<sup>110)</sup> Id est: a Iudaeis imprimis, sed mediate etiam ab exsulibus, utpote et hi opinabantur in templo Yahveh adhuc Hierosolymis existente firmum regni populi consistere fulcrum.

<sup>111)</sup> Verbotenus: „gaudium gloriae“.

<sup>112)</sup> Cf. 24, 21, quo in versu templi Yahveh explicitis verbis fit mentio.

<sup>113)</sup> Id est: obiectum eorum sollicitudinis.

<sup>114)</sup> Locutione: „eorum filii necnon eorum filiae“ probabiliter civitatis Ierusalem incolae designantur.

<sup>115)</sup> De profugi adventu 33, 32 sermo est.

<sup>116)</sup> Scilicet, quod civitas sancta expugnata est ab hostibus; cf. 33, 21 sq.

<sup>117)</sup> Sic legendum cum LXX; TM: lehašm'uth (inf. aramaizans) 'oznayim; LXX vertit, ac si TM praeberet lectionem: lehašmiy'acha be'oznayim. Quae LXX lectio versione Syr. corroboratur.

<sup>118)</sup> Hoc verbum optime (quoad sensum) in Vulg. suppletur.

<sup>119)</sup> TM: „cum profugo“; LXX: πρὸς (?) τὸν ἀνασωζόμενον; Targ. „cum venerit (profugus)“; Vulg.: „cum eo, qui fugit“.

<sup>120)</sup> Ita vertendum est illud vav, quod ultimam v. 27 sententiam introducit.

<sup>121)</sup> Id est: „exsulibus tecum in exsilio degentibus“.

fuisse nisi exsulum incredulitatem, quam obstinate prophetae de imminente templo Yahveh et civitati sanctae interitu praedictionibus opposuerunt, ex contextu sine difficultate deducitur<sup>122)</sup>. Hunc interitum omnino impossibilem esse tam Iudaei quam deportati<sup>123)</sup> firmiter credebant. Cum autem filius Buzi ex prophetica sua legatione<sup>124)</sup> hanc praecipue summam calamitatem ut irrevocabilem annuntiare deberet<sup>125)</sup>, exsules ut certum tenebant Ezechielem non posse a Yahveh vocatum esse prophetam. Quae cum ita se haberent, vates „mutus“, id est: abstinendo a publica calamitatis praedictione, domi attendebat, ut praedicta a se urbis Ierusalem expugnatio perficeretur. Eo die, quo nuntius de hac re per per fugum ex Ierusalem venientem prophetae et exsulis afferetur, filio Buzi „os aperietur“. Tunc enim deportatorum erga Ezechielem obstinatio radicitus fracta erit, ita ut vates omni cum libertate ad eos loqui possit. Nam ex hoc nuntio de civitatis sanctae expugnatione et deletione exsules cognoscent eorum spem omnino inanem fuisse. Simul hoc „incredibili“ — uti putabant — rerum eventu deportatis manifestum fiet Ezechielem revera esse a Yahveh vocatum prophetam.

Quibus ex duobus textibus haec igitur deducitur certa conclusio, quod silentium filii Buzi, cum unice ex prudenti agendi ratione pendeat, nullatenus morbidae originis *alaliae* aequiparari potest. Ceterum etiam ex 16, 63 et 29, 21 clare sequitur locutione „os aperire“ non necessarie finem *alaliae* accessionis exhiberi. Praeterea contra Bertholet et Kraetzschmar adhuc hoc afferendum est, quod immerito post Klostermann Ez. 1, 28 b; 3, 23; 3, 14. 15; 4, 4—8 in favorem suae de Ezechielis catalepsi opinionis invocant<sup>126)</sup>. Nam id, quod 1, 28 b et 3, 23 affirmatur prophetam

<sup>122)</sup> Comp. 24, 25 cum 24, 21. Hunc interitum tunc temporis iam imminentissimum fuisse ex 24, 1. 2; 24, 15 sq. desumitur.

<sup>123)</sup> Cf. 11, 3 sq.; 18, 29; Ier. 29, 5. Cf. etiam locos, ubi legitur locutio: „domus rebellis“.

<sup>124)</sup> Cf. 2, 8 sq.

<sup>125)</sup> Cf. praesertim cc. 8—11.

<sup>126)</sup> Cf. Herrmann, Ezechielstudien, p. 75 sq.; Buzy, op. cit., p. 159—177; Hölcher, op. cit., p. 56 sq. — Buzy hypothesim a Klostermann emissam ita diiudicat (p. 166): „Les observations qu'appelle l'étude de Klostermann peuvent se ramener à deux chefs: 1<sup>o</sup> sa démonstration se trouve viciée par un notable abus des textes; 2<sup>o</sup> si l'on examine sans parti pris le cas d'Ezéchiél, on constate qu'il ne renferme aucun des caractères de la catalépsie“.

primo divinae manifestationis aspectu humi se prostravisse, certo non potest considerari uti indicium eum hoc ex catalepseos impetu fecisse. Idem dicendum est de „amaritudine“, cuius mentio fit in 3, 14. Hanc amaritudinem catalepsi fuisse causatam demonstrari nequit. Neque ex 3, 15 b concludi potest prophetam catalepseos accessionibus subiectum fuisse. Hoc fieri nequit duplici ex ratione. Nam *primo* lectio *mašemim* critice dubia est; *secundo*, etsi ut certa consideranda esset, inde inferre non liceret filii Buzi „torporem“ revera catalepsi effectum esse. Nam hoc in casu pari ratione ex Esdr. 9, 3—4 deducendum esset Esdras etiam cataleptos morbo afflictum fuisse. Quod tamen nemo affirmat.

Maxime autem a Klostermann emissae hypothese 4, 4—8 favere videtur, cum hoc ex textu deduci potest prophetem 390 dies — secundum textum masoreticum — vel 190 dies — secundum LXX interpretum versionem<sup>127)</sup> — super latus sinistrum et deinde 40 dies super latus dextrum domi iacuisse. Cum a recentioribus auctoribus generatim admittatur filium Buzi hanc difficillimam actionem symbolicam<sup>128)</sup> reapse exsecutum esse<sup>129)</sup>, Klostermann eiusque asseclae inde concludunt Ezechielem hoc tempore paralyti facultate ex uno in alterum latus sese convertendi destitutum fuisse. Hanc paralytim unum ex multiplicibus catalepseos effectibus fuisse hi auctores ut certum habent. Cui assertioni hoc autem opponendum est, quod in 4, 4—8 nullo verbo nec de paralyti nec de catalepsi sermo est. Nam ex his versibus ad summum hoc deduci potest, quod Ezechiel indicatis temporis spatiis primo in latere sinistro, deinde in latere dextro immobilis iacebat. Eum hoc tempore incapacem fuisse sese movendi vel erigendi in 4, 4—8 non indicatur. Contra hanc suppositionem validum deducitur argumentum ex proximo horum versuum contextu. Nam ex 4, 9. 12 sequitur prophetam suam iacendi positionem ad tempus interrumpere potuisse, cum his in versibus ei expresse a Deo praescribatur, ut (quotidie) sibi

<sup>127)</sup> De his numeris cf. Gronkowski, *Le messianisme*, p. 19 sq.; Buzy, *op. cit.*, p. 227 sq.

<sup>128)</sup> S. Hieronymus hanc actionem tam difficilem habebat, ut putaret eam executioni non esse datam. Nam hac de re scripsit (In Os., 1, 8, 9): „hoc enim rerum natura non patitur, ut quisquam hominum per trecentos nonaginta dies in uno semper latere dormiat“.

<sup>129)</sup> Cf. Gautier, *La mission*, p. 91 sq.; Buzy, *ibid.*, p. 169 sq.; 181 sq.; 223 sq.

ex diversi generis farina panem conficiat et, data occasione, deportatis se visitantibus significationem huius panis explicet<sup>130</sup>). Quae cum ita sint, clarum est Ezechielem in 4, 4—8 exhiberi ut sese libere movendi capacem<sup>131</sup>).

Idcirco manifestum est<sup>132</sup>) propositam a Bertholet et Kraetzschmar explicationem admitti non posse. Cuius praecipua autem ratio haec est, quod hi auctores gratis asserunt prophetam catalepseos morbo afflictum fuisse.

Aliam textus Ez. 3, 22—27 interpretationem Heinisch<sup>133</sup>) proposuit. Hic (recte) affirmat ex sententia v. 26: „et linguam tuam adhaerere faciam palato tuo“ nullatenus deduci posse filium Buzi *alalia* affectum fuisse. Secundum eum hoc in versu impo-

<sup>130</sup>) Cf. Heinisch, op. cit., p. 44. Cum hoc auctore et id animadvertendum est in 4, 4—8 agi de actione symbolica. Finis autem huius actionis et tunc adeptus censendus erit, cum supponatur prophetam solum die, quando exsules eum visitare poterant, immobilem iacuisse, non vero noctu. Hanc mitiorem interpretationem versu 4, 8 exclusam esse gratis a Buzy asseritur. Cf. hac de re notam subsequentem.

<sup>131</sup>) Quae explicatio contradicit sententiae, quam hac in re Buzy (ibid., p. 177) tenet. Nam posthabita vv. 4, 9, 12 ratione hic auctor putat Ezechielem toto hoc tempore omnino immobilem iacuisse. En, quod relate ad 4, 4—8 scribit: „L'hypothèse de la catalépsie a été écartée. L'hypothèse de chaînes ou de liens matériels, pour expliquer l'immobilité (4, 8), ne paraît pas non plus devoir être admise. Il reste donc ou bien que le prophète gardait bénévolement sa pénible posture pour obéir au précepte divin — ce qui n'est non plus conforme au texte (cur?) — ou que Dieu se servait, pour l'y contraindre, de quelque action physique dont la nature nous échappe, mais qui pourrait être la paralysie (sic!) ou une infirmité analogue. De toute manière, il est établi qu'Ezéchiél n'étaît pas un cataleptique, un névrosé“. Conclusio, quam Buzy deducit, sc. prophetam paralyti aliave simili morbo afflictum fuisse, non est recta. Nam non possumus invenire rationem, cur primo loco citata alternatio textui contraria consideranda sit. Eam textui contrariam fore, si „vincula“, de quibus 4, 8 sermo est, materialiter accipienda essent, concedimus. Cum autem Buzy hanc suppositionem explicite excludat, primae alternationi nulla obstat difficultas.

<sup>132</sup>) Buzy, op. cit., p. 176 sq. analysi omnium Ezechielis textuum facta, ita hypothesim a Klostermann emissam diiudicat: „Concluons: si Ezéchiél n'a du cataleptique ni la rigidité, ni la passivité, ni l'inconscience, ni le tempérament; si sa réclusion dépasse de beaucoup la durée ordinaire de ces crises morbides, non seulement la thèse de Klostermann n'est pas bien établie, mais encore elle ne saurait l'être“.

<sup>133</sup>) Et ante eum Buzy. Opinio, quam Buzy tenet, differt tamen certo sub respectu a sententia, quam Heinisch defendit.

nitur Ezechieli prohibitio, ne in publico praedicetur. Quem versum non ita interpretandum esse, ac si aequivaleret strictissimae interdictioni loquendi, Heinisch ex eo infert, quod prophetae tantum id expresse vetatur, ne sit in posterum exsulibus „vir obiurgans“<sup>134</sup>). Hoc vitae ac morum censoris officium ad eius munus propheticum pertinuisse clarum est. Inde Heinisch concludit hac silentii iniunctione vatem minime privatum fuisse facultate libere „ad usum privatum“ loquendi. Quoad naturam Ezechielis „catenarum“, de quibus in v. 25 sermo est, consequenter aestimat eas pariter ac prophetae silentium *metaphorice* intelligendas esse<sup>135</sup>). Relate ad quaestionem autem, a quo filius Buzi ligandus sit, hic auctor opinatur excludendam esse suppositionem hoc fieri debere a deportatis. Cum huic hypothesei textus masoreticus faveat, sibi persuasit<sup>136</sup>) locutionem v. 24: „ecce imponent super te vincula ligabuntque te iis“ *impersonaliter*<sup>137</sup>) vertendam<sup>138</sup>) et uti implicitam affirmationem explicandam esse hanc actionem a Deo effectum iri<sup>139</sup>). Quapropter Heinisch non

<sup>134</sup>) Op. cit., p. 39 sq. In hoc puncto opinio Heinisch differt ab hac, quam Buzi tenet. Nam Buzi (op. cit., p. 216) aestimat Deum in vv. 26—27 annuntiare prophetae „qu'il va le priver de l'usage de la parole“. Quam loquendi privationem „aphasiae“ vel alaliae aequiparandam esse hic auctor ut certum tenet. P. 177 enim scribit: „Les épreuves d'Ezéchiél n'ont de commun avec la catalépsie que l'aphasie et l'immobilité“. Hanc „aphasiam“ alaliae aequiparandam esse ex hac deducitur comparatione (p. 215): „Jahvé lie les membres d'Ezéchiél, comme au v. 26 il attache sa langue... Le Seigneur se servira-t-il pour cela de quelque infirmité ordinaire, paralysie, rhumatisme, douleurs articulaires, etc.? L'hypothèse est très plausible“... P. 217 putat „(que) l'épreuve (sc. taciturnitas) d'Ezéchiél pourrait avoir duré un peu plus de six ans“. Quam rigidam interpretationem v. 27 excludi patet.

<sup>135</sup>) Buzi eiusdem est sententiae; cf. p. 215.

<sup>136</sup>) Pariter et Buzi. Buzi hac de re ita se exprimit (p. 213): „Ils t'ont mis des chaînes, ils t'ont lié. Qui, ils? Des domestiques? Ezéchiél n'en avait vraisemblablement pas. Les anciens du peuple? Il eût fallu le spécifier. Des ennemis personnels? Il n'y avait pas lieu non plus de le sousentendre“.

<sup>137</sup>) Heinisch verbotenus ita vertit (p. 40): „...man wird dir Fesseln anlegen und dich mit ihnen binden“... Identice et Buzi (p. 213) vertit: „Cette indétermination... doit se rendre en français par le pronom indéfini on: On t'a mis des chaînes, on t'a lié, ce qui convient à Dieu aussi bien qu'aux hommes“.

<sup>138</sup>) Uti exemplum Heinisch (p. 40) et Buzi (p. 214) Lc. 12, 20 citant.

<sup>139</sup>) Immerito tamen et Heinisch (p. 40) et Buzi (p. 214) hanc

dubitat, quin vv. 25 et 26 non sint nisi explicationes divinae in v. 24 b relatae iniunctionis, secundum quam propheta domi sese continens a publica praedicatione at activitate abstinere debet<sup>140</sup>).

Quamquam ab Heinisch propugnata sententia sat ponderata esse videtur, tamen ut omni difficultate maior considerari nequit. Nam huic auctori<sup>141</sup>) praesertim hoc obiici potest, quod immerito hypothesim excludit prophetam a deportatis ligatum iri. Etiamsi concedendum est verba v. 25: „ecce imponent super te vincula ligabuntque te iis“ absolute dicendo modo *impersonali* de actione Dei intelligi posse, tamen negandum est hanc versionem hoc in casu applicandam esse. In favorem huius versionis nihil de v. 26 et 4, 8 desumi posse patet. Contra hanc versionem autem militat ratio, quod secundum Heinisch<sup>142</sup>) de eadem divina actione in v. 25 modo *impersonali*, in v. 26 autem modo *personali* sermo sit. Cui differentiae — tam notabili — non omnis deneganda erit vis, eo minus, quod in vv. 25 b et 26 a leguntur expressiones „*bethocham = in medio eorum*“ (25 b) et „*lahem = (nec sis) iis (vir obiurgans)*“ (26 a), quae ad exsules referendae sunt. Quae cum ita sint, certum esse videtur<sup>143</sup>) verba

conclusionem comparatione cum 4, 8 stabilire volunt. De relatione 4, 8 ad 3, 22 vide supra. Quoad affirmationem a Heinisch emissam, sc. „non esse exclusum, quod haec verba (id est: v. 25 a) propter 4, 8 posterius sunt inserta“, animadvertendum est hanc suspicionem omnino iniustificatam esse.

<sup>140</sup>) Verbotenus Heinisch (p. 40) ita concludit: „Wie das Ankleben der Zunge nicht wörtlich zu verstehen ist von einer Lähmung, so auch nicht das Gefesseltwerden von einem Anlegen physischer Bande, sondern beides bezieht sich auf den Befehl Gottes, sich ruhig zu Hause zu halten“.

<sup>141</sup>) Et pariter Buz y, qui similem ac Heinisch tenet sententiam.

<sup>142</sup>) Heinisch, op. cit., p. 40, ita hac de re se exprimit: „Es ist entweder mit G (id est: LXX) zu lesen: „es werden dir Fesseln angelegt werden“, nämlich von Gott, oder das unbestimmte „man“ ist auf Grund von Vers 26; 4, 8 von Gott zu verstehen (Lc. 12, 20)“. Eiusdem opinionis est Buz y, cf. op. cit., p. 213 sq. Immo hic auctor p. 212 v. 4, 8 versui 3, 25 iuxtaponit. Contra impersonalem v. 25 a interpretationem et hoc allegari potest, quod in LXX, Syr., Vulg. solum primum huius versus verbum passive vertitur, secundum autem active. Qui versus enim his in versionibus ita sonat: „Et tu, fili hominis, ecce „data sunt“ super te vincula et „ligabunt“ te iis“. Quam translationem non posse considerari ut certum impersonalis v. 25 interpretationis indicium clarum est. Ex Lc. 12, 20 autem desumpto argumento nullam hoc in casu attribuendam esse vim stricte „proactivam“ patet.

<sup>143</sup>) Praeterea contra Heinisch et hoc militat, quod in eius hypothesi omnino inintelligibilis manet ratio, cur Deus hanc novam (3, 22 sq.)

„*imponent tibi vincula ligabuntque te iis*“ pariter de exsulum actione intelligenda esse. Quapropter vv. 25 et 26 non posse cum Heinisch considerari ut explicationes iniunctionis in v. 24 b prophetae factae clarum est.

Quartam et ultimam Ez. 3, 22 sq. explicationem Herrmann<sup>144)</sup> proposuit. Ex eo, quod divina instructio 3, 22—27 incipit ab iniunctione Ezechieli intimata, ut in futurum domi sese contineat (v. 24 b), infert impositionem „catenarum“ in v. 25 annuntiatam *postea* fieri debere<sup>145)</sup>. Cum suffixa verborum *bethocham* (v. 25 b)<sup>146)</sup> et *lahem* (26 a)<sup>147)</sup> ad exsules respiciant, necesse esse<sup>148)</sup> concludit, ut verba v. 25: „vincula supra te *imponent ligabuntque te iis*“ item ad deportatos referamus. Ex finali v. 25 parte<sup>149)</sup> Herrmann desumit effectum prophetae ligatus fore, quod publica

---

instructionem prophetae dederit. Cum ex 2, 3 sq. 8 sq.; 3, 1 sq. 4, 10 sq. constet Ezechielem missionem propheticam iam antea accepisse, necessarie explicandum est, cur Deus paulo post hanc legationem nova instructione cohibuerit. Quae ratio manifesta est, cum admittatur v. 25 a de actione exsulum intelligendum esse.

<sup>144)</sup> Ezechiel übersetzt und erklärt, p. 26 sq. iam in suis Ezechielstudien, anno 1908 publici iuris factis (p. 77 sq.), Herrmann his de versibus fusius tractavit. Eius opinio tunc temporis fere sequens erat: V. 3, 27 tunc ut glossam considerabat putans verba: „quoties tecum loquar, os tuum aperiam, ut ad eos loquaris“ inintelligibilia esse in Ezechielis ore. Hoc deduci posse aestimabat ex v. 26, quo absolutam praedicandi interdictionem contineri ut certum tenebat (p. 77). Hoc praetermisso, fere eandem tunc propugnabat sententiam, quam nunc tenet. Una tamen differentia notanda est, nempe haec, quod in suo commentario magis apodicticus est.

<sup>145)</sup> Quae conclusio possibilis quidem est, non tamen necessaria. Nam secundum nostram opinionem non est excludenda hypothesis, quod vincula, quae prophetae imponuntur, consideranda sunt ut causa, cur Ezechiel domi se continere debeat.

<sup>146)</sup> Quod verbum in hoc legitur contextu: „...ligabunt te (vinculis), ita ut non possis apparere (bethocham) in medio eorum“.

<sup>147)</sup> Quod verbum in hoc legitur contextu: „...ut obmutescas nec sis (lahem) iis vir obiurgans“.

<sup>148)</sup> Herrmann verbotenus ita se exprimit: „Da sich die Suffixe... auf die Deportierten beziehen, so ist es unumgänglich, die Plurale am Anfang von 25 gleichfalls auf diese zu beziehen“. Hanc conclusionem non esse „stricte“ necessariam („unumgänglich“) ob (unicam) causam ab eo allegatam nemo est, qui non videat. Cum autem et aliae rationes in favorem huius conclusionis militent, eam ut certam admittimus.

<sup>149)</sup> Scilicet ex verbis: „ut non possis apparere in medio eorum (= exsulum)“.



activitate abstinebit. Qua deductione facta concludit vincula v. 25 ita intelligenda esse, quod deportati Ezechielem ab exercitione publicae activitatis impediunt<sup>150</sup>). Nihilominus putat haec „vincula“ *metaphorice* interpretanda esse, scilicet iis significari *resistentiam*, quam deportati prophetae activitati opposituri sunt<sup>151</sup>). Quam futuram exsulum resistantiam filio Buzi iam in capitibus 2 et 3 a Deo adumbratam fuisse Herrmann firmiter sibi persuasit. Praecise ob hanc deportatorum resistantiam prophetae a Deo imponi silentii iniunctionem, de qua in v. 26 sermo est, hic auctor ut certum admittit. Secundum eius convictionem tamen haec silentii iniunctio minime aequiperanda esset absolutae loquendi interdictioni. Cum enim in v. 26 propheta vetetur, ne sit exsulibus „vir obiurgans“, Herrmann inde infert totam hanc silentii iniunctionem unice constitisse in intimata Ezechieli prohibitione, ne in futurum sit deportatis vitae ac morum censor. Hanc vitae ac morum publici castigatoris ac censoris functionem non totam exhausisse essentiam prophetici filii Buzi muneris patet. Quapropter hanc silentii iniunctionem minime considerandam esse uti „totalem“ Ezechielis prophetae legationis suspensionem, sed solum uti novis huius missionis adiunctis circumstantiisque accommodatam „temperatorem“ Herrmann certum habet. Confirmationem huius interpretandi rationis ex v. 27 petit<sup>152</sup>).

<sup>150</sup>) Contra hanc interpretationem nihil inferri posse ex 4, 8 Herrmann recte ut certum tenet, cum ibi — uti se exprimit — de alia re sermo sit. Nihilominus comparationi 3, 25 cum 4, 8 non omnem denegat vim pro re nostra, animadvertens versui 4, 8 hanc attribuendam esse vim, quod demonstrat vincula v. 25 non necessarie in sensu stricte litterali interpretanda esse.

<sup>151</sup>) Notandum tamen est Herrmann non clare indicare, qualis (activa an passiva?) haec resistantia fuerit naturae. Cum semel de „reali resistantia“ („tätlicher Widerstand“, p. 26) loquatur, activam resistantiam admittere videtur.

<sup>152</sup>) Sententiam ab Herrmann propugnatam partim Hölscher (Hesekiel, der Dichter und das Buch, p. 54 sq.) suam fecit. Nam hic auctor aequae ac Herrmann putat (p. 56) vincula, de quibus in v. 25 sermo est, a deportatis prophetae imponenda esse. Nihilominus — uti Herrmann — non dubitat, quin metaphorice intelligenda sint. Secundum Hölscher enim sensus v. 25 hic esset, quod exsules Ezechielem ab exercenda publice activitate „vi“ impedituri sint (p. 56). Similiter et silentii iniunctionem (v. 26) translate explicat, considerans eam ut prohibitionem,

Secundum nostram opinionem neque haec ultima explicatio sine ulla restrictione admitti potest. Nam ab Herrmann propositae interpretationi hoc obiiciendum esse videtur, quod sine sufficienti ratione aestimat exsulum resistantiam adhuc *ad futu-*

---

ne filius Buzi in medio exsulum uti eorum censor ac castigator appareat (p. 57 sq.). In quo autem Hölscher propriam sequitur sententiam, id est, quod ex 3, 16 a. 22—27 solum vv. 3, 16 a et 24 b uti authenticos habet. Ratio, cur hos versus — exceptis omnibus aliis — uti genuinos consideret, ab eo non indicatur. Quapropter opinio huius auctoris incohaerentiae exceptione maior non est. Nam secundum Hölscher contra genuinitatem totius huius textus imprimis hoc pugnaret, quod explicari nequeat, cur Yahveh instructionem in 3, 22—27 relatam Ezechieli non iam occasione eius ad munus propheticum vocationis intimaverit. Praeterea Hölscher uti absonum id habet, quod secundum 3, 22 Deus „loquitur“ quidem ad prophetam, tamen tunc ei non dat instructionem 3, 24 b—27, sed eum in aliquam „planitiem“ mittit hoc sub praetextu se ibi ei aliquid intimare velle. His et aliis similibus praemissis, Hölscher ita concludit: „Quicumque ad hanc quaestionem responsum dare nequit, hoc ipso concedit hanc novam divinum thronum (portantis) currus apparitionem in „planitie“ pariter secundariam esse, quam descriptionem (eiusdem divini) throni currus in cap. 1 datam“. Hanc argumentandi methodum non mereri, ut modo serio tractetur, nemo est, qui non concedat. Cum eiusdem naturae sint argumenta specialia, quibus Hölscher inauthenticam vv. 3, 25—27 (p. 55, 59) et v. 27 (p. 59 sq.) „demonstrare“ vult (cf. etiam p. 58 sq.), ut magis insistamus, necesse non est. Optime de huius auctoris methodo L. Dennefeld (*Le messianisme*, 1929, p. 115) haec scripsit: „G. Hölscher n'aurait pas eu besoin de relever dans son introduction que l'analyse qu'il entreprend, en vue de séparer les parties authentiques des morceaux secondaires, n'est pas toujours juste. Sa critique est tellement subjective et radicale qu'on peut prouver par elle tout ce qu'on veut. Il n'est donc pas nécessaire d'en tenir compte“. Cf. etiam L. Tondelli, *Le profezie di Ezechiele*, p. XXXXVII.

Similem ac Hölscher defendit relate ad 3, 22—27 V. Hertrich (*Ezechielpobleme*, 1933, p. 77) sententiam. Nam hic auctor ex 3, 22—27 solum vv. 22—23 a authenticos habet, cum reliquos huius instructionis versus partim perfecte absurdos („völlig unsinnig“), partim autem tam difficiles intellectu habeat, ut „merito uti desperationis omnium exegetarum“ causa considerentur. Talibus imbutus praesuppositis ex eo, quod 3, 22—23 a mentio fit eiusdem, uti videtur, ac 8, 4 et 37, 1 „planitiei“, Hertrich concludit: 1) vv. 3, 22—23 a constituuisse introductionem Ezechielis ad munus propheticum vocationis; 2) descriptionem Ezechielis ad munus propheticum vocationis vv. 2, 8 sq. contineri; 3) ideoque vv. 2, 8 sq. subiungendos esse vv. 3, 22—23 a. Cum neque hanc methodum seriam habeamus, silentio ab eo contra genuinitatem horum versuum propositas obiectiones praeteribimus.

*rum* pertinere. Revera multi auctores <sup>153)</sup> v. 25 ita intelligunt, acsi in eo de actione futura sermo esset. Quamquam concedendum est hanc interpretationem *in se* possibilem esse, tamen contextus aliam postulare videtur.

Si — per modum concessionis — locutionem הנה נתנו עליך עבותים non uti indicium *futurae*, sed potius *praesentis* (vel *perfectae*) <sup>154)</sup> actionis accipimus, tunc initium v. 25 ita vertendum erit: „Ecce *imponunt* supra te „catenas“ *ligant*que te iis“. Hanc versionem *grammaticae* omnino admissibilem esse constat <sup>155)</sup>.

Quam interpretationem reapse admittendam esse ex eo concluditur, quod aliter nullatenus explicatur ratio, cur Deus hanc instructionem prophetae dederit. Versus 3, 22 sq. non esse *simplicis* actionis symbolicae peragenda<sup>156)</sup> intimationem iam demonstravimus. Inde necesse est, ut inferamus istis versibus contineri *instructionem*, qua Deus Ezechielem edocuit, quomodo in futurum erga exsules se gerere deberet. Nisi admitteremus filium Buzi tunc temporis deportatorum *resistentiam iam expertum fuisse*, absolute non intelligemus intimam huius instructionis rationem. Quae ratio sine dubio gravissima erat. Hoc deduci potest: 1) ex eo, quod haec instructio paulo post Ezechielis ad munus pro-

<sup>153)</sup> Praeter Herrmann (op. cit., p. 40), Jahn (op. cit., p. 23), Kraetzschmar (op. cit., p. 39), S. Bernfeld (Die hl. Schrift, 2 ed., 1909, p. 530), A. Crampón (La Sainte Bible, 1930, p. 1228), P. Riessler (Die hl. Schrift nach dem Grundtext übersetzt, 2 ed., t. II, 1928, p. 896), E. Henne (Das Alte Testament, pars II, 1936, p. 856) et alii.

<sup>154)</sup> Ita vertunt: Breuer, op. cit., p. 18; Bertholet, op. cit., p. 22.

<sup>155)</sup> Philippson, Landau und Kaempf, Die hl. Schrift, t. II, p. 132 sq., v. 25 ita vertunt: „Und du, Menschensohn, siehe, sie legen dir Stricke an, und binden dich damit, dass du nicht unter sie hinausgehst“. Tondelli, op. cit., p. 11, versiones LXX virorum et Vulgatae serviliter sequens, v. 25 ita vertit: „Ed ecco che a te, Figlio d'uomo, son messe (= perf. pass.) delle funi addosso, e con esse ti legheranno (= fut. act.)“... Quae ultima versio, etiamsi externe textui consonans sit, tamem contra sensum peccat. Nam manifestum est in v. 25 non de duabus diversis ligandj actionibus sermonem esse, sed de una tantum. Quapropter illicitum est, ut primum verbum forma praesentis vel perfecti, secundam autem forma futuri vertamus.

<sup>156)</sup> Negamus versibus 3, 24 b—27 contineri „simplicem“ actionis symbolicae peragenda<sup>156)</sup> intimationem. Sed non negamus praescriptam hac in instructione agendi rationem destitutam esse vi symbolica.

pheticum *missionem* datur; 2) ex eo, quod Deus hanc instructionem prophetae non — ut ita dicamus — modo *privato* „domi“, sed potius modo *publico* — utpote suae auctoritati ac maiestati magis digno et his in circumstantiis magis accommodato — „in planitie“ intimare dignatus est. Hic enim, sub divo, Yahveh cum omni sua „gloria“ vati sub *externa quadam specie* uti Dominus caeli et terrae omniumque populorum ac nationum<sup>157)</sup> sese manifestare potuit, tamen non visus, nisi a solo propheta. Quae divina manifestatio certo filio Buzi magnum praebuit solacium, excitando eum, ut posthabita exsulum oppositione suo munere fideliter iuxta acceptam iniunctionem fungeretur.

Si nunc omnia, quae hucusque relate ad sensum singulorum huius instructionis versuum prolata sunt, recapitulamus, haec retinenda esse videntur:

„Vincula“, de quibus in 3, 25 mentio fit, ut *metaphorice* interpretentur, necesse est. Qua expressione enim non designantur verae, reales „catenae“, sed significatur *resistentia*, quam *deportati* Ezechielis primae — uti prophetae Yahveh — publicae activitati opposuerunt. Quam praecise ob causam filio Buzi tota haec *agendi instructio* datur.

Cuius instructionis praecipuum elementum in v. 24 b habetur. Hoc in versu enim Ezechieli imponitur a Deo iniunctio, ut in futurum domi sese contineat. Hanc iniunctionem *praevia* exsulum erga prophetae publicam activitatem *resistentia* provocatam fuisse, ex v. 25 elucet. Animadvertendum tamen est nulli indicari, qualis naturae haec *resistentia* fuerit. Ex eo autem, quod filio Buzi iam septem diebus post eius ad munus propheticum legationem nova *agendi* instructio datur, sequi videtur hanc deportatorum *resistentiam*, etsi non *activam*, tamen valde intensam fuisse. Quodsi Yahveh praecise ob hanc rem prophetae praescribit, ne pro futuro *in publicum prodeat*, sed domi se contineat, sine erroris formidine inde deduci potest non esse exclusum hanc *resistentiam* iam ad *activam oppositionem* accessisse.

Talem esse veram v. 24 b significationem versus 25 et 26 demonstrant. Sub fine enim v. 25 iniunctio v. 24 b hunc in mo-

<sup>157)</sup> Quae idea saepius apud Ezechielem fusius evolvitur; cf. Ez. 1; 25—32; 37; 47.

dum explicatur, quod propheta ea expresse vetatur, ne inter exsules praedicandi causa sese conferat. Quomodo autem haec in publicum prodeundi interdictio intelligenda sit, adhuc clarius in v. 26 indicatur. Hoc enim ex versu sequitur Ezechielem idcirco domi sese continere debere, ne — exsulum ob obstinationem — sit eis „vir obiurgans“. Quapropter hoc tempore uti *vitae ac morum castigator* „silebit“. Hoc tamen prophetae silentium minime absolutum erit. Nam secundum v. 27 Ezechiel et hoc tempore oracula a Yahveh accipiet et tunc ea — data occasione — deportatis intrepide annuntiabit<sup>158)</sup>.

Cum talis sit vv. 3, 22—27 sensus, certum esse videtur in v. 3, 15 b lectionem graecam ἀναστρεφόμενος originalem et praeferendam esse lectioni *mašemim*, quam hoc loco textus masoreticus praebet. Quoad quaestionem autem, quousque haec nova vv. 33, 22—27 Ezechieli data *instructio* viguerit, respondendum est hoc locum habuisse usque ad in 33, 21—22 indicatum temporis punctum. Quibus enim in versibus affirmatur „anno *undecimo*<sup>159)</sup>, decimo *mense*, quinta huius mensis *die*“, post filii Buzi deportationis initium, ergo anno 586, profugum ex Ierusalem ad eum venisse eique nuntiasset civitatem sanctam sex menses ante a Babyloniorum exercitu expugnatam esse. Quo nuntio, qui prophetae — uti se exprimit — „os aperuit“, „silendi“ iniunctio, ei anno 593 a Deo facta, annullata est. Abhinc igitur filio Buzi denuo libere in publicum prodeundi licentia est. Qua licentia libenter ac frequenter utitur, eo libentius ac frequentius, quod deportati nunc firmiter convicti sunt eum vere a Yahveh vocatum prophetam esse. Quam certitudinem exsules ex eo hauerunt, quod nunc eis constabat de Hierosolymis, quorum destructio tot vicibus et tam clare ab Ezechiele praedicta fuerat quamque impossibilem credebant, iam irrevocabiliter actum esse. Quae

---

<sup>158)</sup> Notandum est in v. 27 non indicari vatem tempore interdicto in publicum prodire posse, ut (divino ex permissu) exsulibus acceptum oraculum communicet. Quae facultas tamen saltem pro uno aliove casu „exceptionali“ non facile ei deneganda erit. Nam ex 11, 25; 21, 5. 12; 24, 18 sequi videtur prophetam hoc tempore aliquando „ad populum“ vel „deportatos“ locutum esse. Revera his in locis non dicitur prophetam tunc „extra suam domum“ exsules allocutum esse. Quae suppositio tamen non omnino — ut nobis videtur (cf. 12, 3 sq.) — excludenda est.

<sup>159)</sup> Cf. supra, adnot. 103.

summa calamitas eos vehementer vexabat. Quapropter nunc libenti animo magnoque numero ad prophetam conveniunt, ut ab eius ore divina oracula audiant. Quam ob felicem animorum mutationem Ezechiel deportatis non amplius est severus „vir obiurgans“<sup>160</sup>), sed fit eorum pater spiritualis, magister consolatorque. Ad hanc secundam filii Buzi activitatis periodum imprimis capita 34—48 pertinent, in quibus oracula consolativa et messianica primum tenent locum<sup>161</sup>).

Non omnes tamen exules et tunc dociles fuisse ex 33, 30—32<sup>162</sup>) desumitur. Qui textus enim sic vertitur: „(v. 30) Et tu, filii hominis, (*haec audi*): Filii populi tui colloquuntur<sup>163</sup>) de te iuxta muros et in ostiis domorum. Etenim<sup>164</sup>) unus ad alium sic (*fere*) dicit: Venite audiamusque, quid *sit* de verbo, quod ab Yahveh egreditur. (v. 31) Conveniunt igitur ad te (*tam frequentes*), ut *fieri solet* ad populi conventum, sedentesque coram te<sup>165</sup>) audiunt verba tua, at non vivunt secundum ea<sup>166</sup>). Cum mendacia<sup>167</sup>) in eorum ore sint, secundum ea vivunt, (*eo libentius*), quod cor eorum illegitimi lucri cupidum est. (v. 32) *Quapropter*, ecce, eis *es quasi amoris* carminum citharoedus<sup>168</sup>), dulcem vocem *habens* habilisque cantandi. *Nam* verba tua audiunt, sed secundum ea non vivunt“. Nihilominus Ezechiel deportatis hac periodo non est severus „vir obiurgans“, sed eorum pater spiritualis et con-

<sup>160</sup>) Notatu dignum est locutionem: *domus rebellis*, tam frequentem in prima Ezechielis libri parte (infra cap. 1—24 haec locutio his in locis legitur: 2, 5. 6. 7 (hic solum verbum „meri“ legitur; supplendum? verbum bejth.) 8; 3, 9. 26. 27; 12, 2 (bis). 3. 9. 25; 17, 12; 24, 3), in secunda eius parte semel, sc. 44, 6 (hic solum verbum „meri“ legitur; supplendum? verbum bejth), inveniri. Quod factum certo non est negligendum.

<sup>161</sup>) Cf. W. Gronkowski, Le messianisme d'Ezéchiel, p. 43 sq.

<sup>162</sup>) Qui versus sine dubio pertinent ad secundam Ezechielis ministerii periodum, quae anno 586 (post profugi ex Ierusalem adventum) incipit. — Cf. Heinisch, op. cit., p. 162 sq.

<sup>163</sup>) Articulus, qui in textu masoretico ante hoc verbum habetur, delendus est.

<sup>164</sup>) Expressio, quae sequitur, sc. „ad invicem“, omittenda est cum LXX.

<sup>165</sup>) Expressio „Populus meus“ — uti glossa — omittenda est cum LXX.

<sup>166</sup>) Verbotenus secundum textum masoreticum: „non faciunt ea“.

<sup>167</sup>) Sic legendum cum LXX.

<sup>168</sup>) In textu masoretico hoc loco legitur: *šir* = *canticus*; quod verbum tamen in *sar* = *cantor* corrigendum est. Inde vertendum esse videtur: citharoedus.

solator. Cuius intima ratio in eo consistit, quod incipiendo a deletionem civitatis sanctae exsulibus firmiter persuasum est Ezechielem verum Yahveh prophetam esse. Usque ad hunc eventum autem eius prophetica missio multis quam maxime dubia et incerta erat. Quam praecise ob causam instructio vv. 3, 16 a. 22—27 filio Buzi a Deo data est.

Sic ergo verum est iudicium, quod articulo nostro praemisimus, scilicet *textum Ez. 3, 16 a. 22—27 his adnumerandum esse locis, de quorum recto intellectu non parva ex parte iusta dependet totius huius prophetae operis et libri appretiatio.*

*Poznań*

*Witold Gronkowski.*

Professor in Semin. Archiepiscopali.